

05


A

919





XXIV
12



Disputatio Theologica,
De
ADORANDO TRINI-
TATIS MYSTERIO,
Quam
 Adjuv. DEO Uno & Trino
 In celeberrimâ Academiâ Wittebergensi,
 Sub Præsidio
 Admodum Reverendi, Clarissimi &
 Excellentissimi Viri,
 DN. BALTH. MEISNERI,
 SS. Theol. D. & Prof. publ. celeberrimi,
 Præceptoris & Promotoris sui perenni
 observantiæ cultu prosequendi,
Publica disquisitioni subjicit
 FRIDERICUS FLASCHNERUS
 Svidnicio - Silesius.
 d. 24. Martii, in audit. Majore.
 WITTEBERGÆ,
 Ex Officina Christiani Tham, Acad. Typogr.
 ANNO MDCXXVI.





05 A 919





ADORANDUM TRI- NITATIS MYSTERIUM.

THESIS I.



Summum hominis Bonum DEUS est, in quo omnia bona, sine quo nullum aliud verum bonum, teste *Aushelmo in persol. 6. 25.* In hoc enim solo animus noster acquiescit, nec ulterius desiderat quicquam, in quo se oblectet; in hoc Uno omne invenit; in hoc Uno, tanquam Fine Ultimo subsistit.

Summum Bonum Deus est.

II. Ad hoc Bonum consequendum requiritur vera veri Dei, *Quod con-* tanquam summi Boni notitia & cognitio: *Hec enim est vita aeterna, sequimur* ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti, *Jesum esse Christum. Joh. cognitione.* 17. v. 3. *Nosse Deum, consummata Justitia est, & scire virtutem ejus, radix est immortalitatis. Sap. 15. v. 3.* In hoc gloriatur, qui gloriatur, *Nosse Me, quia ego sum Dominus, ait Jehovah. Jerem. 9. v. 24.*

III. Ad veram hanc Dei cognitionem non sufficit quaestio *Non tam* *to* *o* *li*, quod sit Deus; Hoc enim ipsi Gentiles ex luce Naturæ hauserunt, teste *Apost. Rom. 1. v. 19. 20.* Id, quod de Deo cognosci potest, *mani-* festum est in illis; Deus enim illis patefecit, siquidem quae sunt invisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, *praevidentur.* Hinc *Seneca Epist. 117. scribit: Omnibus de Deo opinio insita est; nec ulla gens unquam adeo extra leges moresq; projecta est, ut non aliquos Deos credat.* Et *Lipsius lib. 1. de Constant. cap. 13. Natura, natura ista vox est, & quocumq; oculos, animumq; convertas, mortalia, immortalia; sublimia & terrena, animata & inanimata, clamant clarè & loquuntur, quiddam super nos esse, quod haec tam mira, tam magna, tam multa creavit, fecerit, & creata, facta, etiam nunc dirigat & conservet.*

rum natu- rali,



Sed potissimum rebus laud

In Scripturis.

Articulus de Trinitate mysterium est.

IV. Verum ad salutem consequendam hæc non sufficiunt; altiùs adscendant mentes piæ oportet, & de Deo quoque τὸ ὕψι, Quid sit, discant. Quam quidem quæstionem non Natura, non Ratio humana aut Philosophia sufficienter solvere potest; sola potest Sacra Scriptura.

V. Hæc docet Deum Unum in Essentiâ, Deut. 6. v. 4. Audi Israel, Dominus Deus tuus Jehovab unus est. 1. Corinth. 8. v. 4. Nullus est Deus alius, nisi Unus: & Trinum in personis esse.

VI. Essentiæ divinæ Unitatem jam præsupponentes, Arduum & Adorandum illud Sacro-Sanctæ Trinitatis Mysterium, almâ prosperitante Trin-Unitate, exercitii gratiâ solidis Scripturæ sacræ fundamentis firmatum proponimus, quò ipsi in veritate agnitâ firmemur, & adversus qualvis adversariorum Sanctæ Trinitatis strophas immoti, veritatem defendere & tueri queamus.

VII. Mysterium autem inscribimus 1. quia Rationi humanæ prorsus ignotum est, extra divinam revelationem in scripturis factam: Deum enim nemo vidit unquam, Unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit Job. 1. v. 18. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Matth. 11. v. 27. A Deo quippe discendum est, quid de Deo intelligendum sit, teste Hilario lib. 5. de Trin. 2. quia non tantum ignorat Ratio, sed & ipsam Rationem superat; est enim ἡ ἐξ ἑᾶς, ἡ ἐξ λόγου, ἡ ἐξ ἀεὶ τῆς ἀληθείας κτιστῆς φύσεως, juxta Justin. in expos. fid. Animalis siquidem homo non percipit ea, que sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2. v. 14. hinc rationem in mysteriis fidei captivandam esse suadet idem Apostolus 2. Cor. 10. v. 5. 3. quia non tantum supra sed & contra Rationem humanam est, illiq; planè ἀδύνατον καὶ ἀντιφάτικόν esse videtur. Humana enim Ratio, quâ talis, hæc duo conciliare nequit, Deum esse Unum & Deum esse Trinum. Hinc Dionysius rectè scripsit: Rationi humanæ quodammodò mendacium videtur, quod de Unâ Trinitate, & Trinâ Unitate dicitur. Proinde solâ fide Articulum hunc amplectimur; miramur, non rimamur; Mirabile enim illud de Trinitatis Unitate, & Unitatis Trinitate sacramentum credendum magis, quam exponendum, ait Aug. lib. 2. de visit. infirm. cap. 3. cum hoc Deus sit, quod cum dicitur, non potest dici, docente Hilario. Consulatur Dn. D. Jac. Martini Lib. II. Exercit. Metaph. Exercit. 4. Theor. 9.

VIII. De sacrâ ergò hâc materiâ tractaturi calceos exuamus cum Moysè Exod. 3. v. 5. & Josuâ, cap. 5. vers. 15. ascensuri Montem Domini, & divina mysteria aspecturi, linguamus asinam & servum infra Montem Gen. 22. v. 5. hoc est, Argutias Rationis mitamus, solisq; scripturis divinis innitamur: quid enim Ratio in sanctis, nisi deliratio rebus?

IX. Ut verò certos Disputatio hæc nostra præfixos habeat limites, tribus illam includere placet Membris. Primum terminorum quorundam in hoc articulo sæpius occurrentium expositionem præmittet: Alterum veram sententiam proponet & confirmabit: Tertium ἐπεὶ ἔδοξεν paucis exponet. Sit ergò

MEMBRUM I.

De Terminorum quorundam Expositione.

X. Occurrunt quidam in articulo de Trinitate termini, quorum explicatio plerunq; solet præmitti; nos hâc vice non omnes, sed tantum præcipuos exponemus, nimirum terminum *Persona, Essentiæ, & Trinitatis.*

XI. *Persona* (Græcis ὑπόστασις, ὑφυστάσις, πρῶτον) in hoc loco non eo usurpatur sensu, quo sæpè à prophanis authoribus adhibetur; ideoq; non duntaxat relationem aut officium significat, quâ ratione Latini solent dicere; Principis personam tueri; nec abstractum aut separatum aliquid ab Essentiâ, quam communem habent tres Divinitatis personæ; sed ex usu Ecclesiæ, pro ὑπόστασις seu ὑφυστάσις; assumpsitq; Ecclesia hæc & similia vocabula, non simpliciter, sed eâ lege, ut donet illa jure suæ Civitatis, & in peculiari significatione iis utatur, notante D. Chemnitio, Tom. 1. Loc. Comm. fol. 43. B.

Persona vox quo modo accipitur.

Per Ursinum in Instit. Catech. Part. 2. p. 174. Per Jesum

XII. *Causæ* verò, cur hi termini ab Ecclesiâ recipiantur, varii recensent varias. Sohnius Tom. II. Art. 1. Edit. Sigen. pag. 84. Ecclesia hos assumat terminos. *1. quia hæc vox ad scripturæ sensum exprimendum imprimis accommodata videretur. Hinc Nazianz. Orat. 31. in laud. Athan. inquit: Itali ob linguæ angustiam & nominum inopiam substantiam non possunt distinguere ab Essentiâ, ac ideo personas nominant. 2. Ut contentiones ex ambiguitate ortæ vitarentur.*

3. Ut Sabellianis & Arianis facilius occurreretur, & corruptelæ ac fraudes eorum, quas Scripturæ verbis tegere conabantur, facilius retergerentur, & caverentur.

XIII. Keckermannus lib. 1. Syst. Theol. cap. 3. pag. 21. has recenset rationes: 1. quia in omnibus disciplinis conceditur artificibus, ut certos terminos artis ad explicanda præcepta usurpent, etiam si illi termini extra eam disciplinam nusquam ab aliis usurpentur; cur non idem liceat Theologo? 2. Iniquum est, signa rerum rejicere, cum res ipsæ istis signis & vocabulis significatæ extant. 3. Ineptum est, rejicere voces & eliminare velle ex Theologiâ, cum planè æquipollentes extent in sacrâ Scripturâ.

XIV. Huc pertinere videntur verba August. lib. 7. de Trin. cap. 4. Unus, inquit, ergo Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Itaque loquendi causâ de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possimus, quod effari nullo modo possumus; dictum est à nostris Græcis, Una Essentia, Tres substantiæ: A Latinis verò una essentia vel substantia, tres personæ; quia sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, Latino, Essentia, quam substantia solet intelligi, & tum intelligitur saltem in enigmate, quod dicitur. Placuit ita dici, ut diceretur aliquid, cum quæreretur, quid Tria sint; quæ Tria esse vera Fides pronunciat: cum & Patrem non dicit esse Filium, & Spiritum Sanctum nec Patrem esse dicit, nec Filium. Hactenus Augustinus.

Persona
quid sit.

XV. Est autem Persona subsistens, individuum, vivum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio, nec pars alterius. Explicatio hujus definitionis videri potest apud Chemnit. Tom. 1. Loc. fol. 44. Dn. D. Gerhardum Tom. 1. Loc. 3. §. 57. Dn. D. Himmelium in Syntagm. Disp. 5. th. 3. usq; ad th. 10. Dn. D. Jac. Martini in Disput. Apologeticis oppositis Goslavio, & Lib. II. de Trib. Eloh. cap. 4. seqq. Hyperium in Method. Theol. lib. 1. pag. 107. 108. Ursinum in Explicat. Catech. part. 2. quest. 25. p. 172. seqq. & alios.

XVI. Vocabulum Græcum *ὑποστάσις* quidam negant esse *ἑσφραφίς*; alii adfirmant, & probationis loco adferunt dictum Hebr. 1. v. 3. ubi filius dicitur *ἀπὸ υἱοῦ αὐτοῦ τῆς δόξης, καὶ κατὰ τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ*, nîm. Patris. Unde illa oritur quæstio, An Filius imago Patris sit secundum essentiam, an secundum personam?
cujus

cujus decisio peti potest ex *D. Gerb. Tom. 1. Loc. 3. §. 34.* qui respon-
det, quod vox *ὑποστάσεως* hoc in loco non notet personalitatem,
sive personalem proprietatem, sive formale personæ: notet autem
personam, hoc est; Essentiam Patris caractere hypostatico insi-
gnitam, ut quasi per oppositionem dictum sit, Filius est Imago hy-
postaseos Patris, id est, primæ Personæ, quæ est Pater & *Dn. D. Meis-
nero Part. II. Phil. Sobr. sect. 1. cap. 2. quest. 1. Edit. anno 1623. pag. 279.
seqq.* ubi perspicuam solutionem tribus Conclusionibus in-
venies.

XVII. *Essentia*, Græcis, *ἁγία*, fundamentum habet *Apo. 1. v. 8. Dicit Dominus ὁ ὢν, qui est, ex illo Exod. 3. v. 14. אֲנִי אֲנִי אֲנִי*
אֲנִי *Ero, qui Ero*, & definitur hoc in loco à Theologis, quod *Essentia*
denotet unam tribus personis communem Essentiam, quæ tota est *quid sit*
in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu Sancto. *Basilius Magnus* definit
naturæ communitatem, sive id, quod Deo simpliciter convenit,
atq; ad eò de omnibus communiter prædicatur personis. Sic vox
hominis commune quiddam notat, cuicumq; homini in genere
convenies, nec non de quibuscunq; hominibus aptè prædi-
catur.

XVIII. Non autem Essentia prædicatur de Patre, Filio, &
Spiritu sancto modo aliquo Logico, vel ut *genus de speciebus*; vel ut
species de individuis; vel ut *totum sive integrum de partibus*; qui modi
prædicationum omnes de Deo nullo modo dici possunt; sed alio
quodam ineffabili, nobisq; incognito & incomprehensibili modo
ac ratione.

XIX. Ex *ἁγία* deducitur *ὁμοῦσι* & coessentialis, consub- *ὁμοῦσι*
stantialis, & *ὁμοῦσι* ejusdem naturæ & essentiæ: notâruntq; an-
tiqui Ecclesiæ Doctores hæc voce unam personarum æternitatem,
unam voluntatem, communem operationem, unam gloriam &
majestatem tribus personis communem.

XX. Usurpatur hæc vox in *Symbolo Nicæno*, dum credimus
in Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, consubstantialem
Patri; & oppositum est hoc Symbolum Ario, divinitatem Christi
neganti, qui quidem Christum fatebatur Deum, sed nuncupativè
intel-

intelligebat, sicut Moses dicitur Deus Pharaonis, *Exod. 7. vers. 1.*
& Magistratus appellantur Dii *Exod. 22. vers. 8. 9. & 28. Psal. 82.*
vers. 7.

XXI. Et *Athanasius in tripart. hist. lib. 2. cap. 7.* apud veteres
Doctores, ante Concilium Nicenum, vocabulum illud in usu fu-
isse in eadem significatione testatur. Unde apparet, non demum,
in Concilio isto excogitatam esse hanc vocem, ideoq; injustè ac-
cusatum fuisse Athanasium & reliquos Christianos pertinaciæ ab
Arianis, quod vocem hanc ἀγέσθου & recens confictam reti-
nuerint.

D. Forst.
Tom. 1. Diss. & 1. Joh. 5. v. 7.
Vitteb. VII. & Spiritus Sanctus,
& hi Tres Unum sunt;
ib. 30. 31.

XXII. Quamvis enim quò ad verbum & literas omnes, in
Scripturis non reperiatur, quò ad rem tamen in illâ contineri ne-
mo negare poterit, qui dicta illa *Joh. 10. v. 30. Ego & Pater Unum sumus*
& *1. Joh. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum,*
& *Spiritus Sanctus, & hi Tres Unum sunt;* penitiùs consideraverit.
Qualis enim Unitas in locis istis denotatur? Non certè voluntatis
tantùm, sed & Essentiæ; cui Unitati hanc vocem respondere prisca
Patres viderunt. Hinc in scholis dicere solemus, quod Pater &
Filius, non sint ἐτερόσσοι, nec συγσσοι, nec ἑμοιόσσοι; sed ὁμοόσσοι;
id est, habeant eandem essentiam, sed communicatam, in distinctâ
personâ, notante *D. Chemnitio Tom. 1. Loc. fol. 51. B.*

Trinitas.

XXIII. Succedit ultimo loco explicandum vocabulum
Trinitatis. Non autem hoc in loco intelligitur Trinitas essentiæ, quæ
Una est; Deum enim credimus Essentiâ Unam, personis Trinum;
nec voluntatis, quippè quæ in se considerata cum Essentiâ Dei sim-
plicissimè convertitur, neque speciei, cum Deus nullum supra se
genus commune habeat; nec idiomatum, quæ ipsa quoque ab
Essentiâ realiter distingui non possunt, sed cum illâ τὸντι quid-
dam sunt: sed Personarum, quæ Unitati Essentiæ in hoc mysterio
nihil derogare potest.

XXIV. Græcis dicitur Τριάς, Germanis *Dreyfaltigkeit*
& *Dreyeinigkeit*/ ubi posterius vocabulum magis accommo-
datum videtur huic mysterio, cum prius Triplicitatem potius
quam Trin-Unitatem primâ fronte indigitare videatur.

XXV. Et utuntur quidam hac in re Triplicitatis nomine, sed minus commodè, cum, ut jam dictum, inæqualitatis comparisonem & essentiæ multiplicationem potissimum denotet; quam de Deo, Essentiâ illâ simplicissimâ asserere velle α' θεον est: Ubi enim summa est Unitas, & indifferens æqualitas, ibi nulla potest esse Triplicitas.

XXVI. Hinc discrimen inter trinum & triplex probè observandum est; *Triplex* enim dicitur, quod ex tribus compositum est, hinc *Ecclesiastæ* 4. v. 12. dicitur: *Funiculus triplex, id est, ex tribus compositus, difficile rumpitur.* *Trinum* verò in hoc mysterio usurpatur de eo, quod est unum Essentiâ, tres *θεοὶ καὶ ἕως* habens. Hinc rectè dico de Deo, Deus est personis trinus; minus verò rectè; Deus est personis triplex. Iis enim utendum vocabulis, quæ hæreticorum expositioni non tam facile subjacere possunt.

*Discrimen
inter Triplex
& Trinum.*

XXVII. Quamvis verò hæc vox etiam *τὸ πρῶτον* in sacris literis non contineatur, sufficit tamen nobis, eandem inibi *τὸ ἄνωγον* contineri, in dicto illo classico 1. *Joh. 5. v. 7. τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, Tres sunt, qui testimonium dant in celo.* Sicut ergò ab Uno fit Unitas; ita per naturam conjugatorum à Tribus fit Trinum & Trinitas. Et hinc ab antiquissimis quoque *Ecclesiæ* Doctoribus usurpata hæc vox reperitur, utpote à *Justino Martyre*, qui sub Antonio in *Ecclesiâ* floruisse circa annum Domini 150. fertur; à *Tertulliano*, quem vixisse dicunt circiter annum Christi 210; à *Clemente Alexandrino*, *Origene*, & aliis, ut videre est apud *Dn. D. Gerh. Tom. I. Loc. 4. c. 1. §. 5.*

XXVIII. Gravissimè hoc in loco *B. Megalander* noster *Lutherus* à Pontificiis accusatur, quasi Trinitatis vocabulum ex Litanâ expunxerit: verum confessionem suam de hoc mysterio in scriptis suis clarè satis edidit, præsertim super ultima verba *Davidis* & alibi. Et citatur in *Harmoniâ Lutheri & Lutheranorum* Cap. 1. pag. 6. ex *Postillâ Domesticâ* part. æstiv. Lutheri dictum: *Trinitas, Unitas sunt vocabula Mathematica, de Deo tamen loqui non possumus, nisi illa adhibeamus.*

*Lutherum
injustè accu-
sant Ponti-
ficii.*

XXIX. Arduum hocce mysterium voce Trinitatis satis ex-
primi, hoc quidem negat. Unde, loco dicto, sequentia etiam ex
Luthero citantur: Wir heissen es eine Person / ist wol nicht
gnug geredet / sondern gestamlet / wie wir auch in dem
Wort Dreyfaltigkeit stamlen. quæ verba habentur in Post.
Eccles. fol. 171. B. & fol. 174. Gott als ein Vater muß seinen
Kindern zu gut halten / daß wir stamlen / vnd lallen / so
gut wir können / so nur der Glaube rein ist. Sed non exinde
sequitur, quod ipsam Trinitatem negaverit. Augustinus enim
ipse conqueritur, nullum commodum haberi posse vocabulum,
quo hoc mysterium exprimatur; annè verò propterea ipsam Tri-
nitatem negasse August. dicendum est? Non puto. Atq; hæc
Terminis primariis dixisse sufficiant.

MEMBRUM II.

De Vera sententia positione & confirmatione.

Ogδοξία. XXX. Vera itaq; Scripturæ sententia est; In Unâ indivisâ &
simplicissimâ Essentiâ divinâ, tres dari reverà distinctas personas, Deum Pa-
trem, Filium, & Spiritum Sanctum: quæ thesis statim pluribus demon-
stranda erit...

XXXI. Eandem sententiam proponit Symbolum Athana-
sii: Quicumq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fi-
dem: quam nisi quisq; integram, inviolatamq; servaverit, absq; dubio in æ-
ternum peribit: Fides autem Catholica hæc est, ut Unum Deum in Trinitate,
& Trinitatem in Unitate veneremur; neq; confundentes personas, neq; sub-
stantiam separantes, &c. quam sententiam August. quoq; inculcat
Confessio Art. I.

XXXII. Hæc nostra in Scripturis sacris, tam V. quam
N. T. satis firmata ac fundata sententia, jam ulterius explicanda
venit. Utq; methodicè fiat, ante omnia, dari personarum divinarum
pluralitatem demonstrabimus; deinde pluralitatem illam ad nu-
merum ternarium restringemus; post singularum personarum di-
vinitatem, & personalitatem, si opus fuerit, probabimus; ac ita lo-
co ultimo personarum tum convenientiam, tum differentiam appo-
nemus;


nemus; quibus quatuor appositis, sententiam nostram firmatam & probatam satis videbimus.


XXXIII. Scholastici Doctores confusè tum pluralitatem tum Trinitatem probârunt; hinc octo Regulas constituerunt, quæ collectioni testimoniorum in hoc Articulo inservire possint: 1. Ipsam significationem, ut *in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* 2. Consignificationem numeralem, ut *Gen. 1. v. 26. Faciamus hominem.* 3. appropriationem operum, ut *Psal. 33. v. 6. Gen. 1. v. 2.* 4. suppositionem terminorum, ut *Deus Deum genuit, Psal. 2. v. 7. Prov. 8. v. 22.* 5. Trinam iterationem, ut *Esa. 6. v. 3.* 6. Ordinationem verborum, ut *Psal. 67. v. 3.* 7. Connotationem in actu missionis, ut *Esa. 48. v. 16.* 8. Apparitionem, ut *Gen. 18. v. 2.* quibus addunt 9. habitudinem constructionis, ut *Rom. 11. v. 36. Coloss. 1. v. 16.* annotante Chemnitio *Tom. 1. fol. 38. B. & D. Pelargo in Admonit. de Arian. pag. 118.* nos tamen, ut dictum, vestigiis nostrorum Præceptorum insistentes, pluralitatem seorsim; & hinc quoq; seorsim Trinitatem probandam jam assumimus.

Quomodo Scholastici probent Trinitatem.

XXXIV. In unâ igitur divinâ Essentiâ, non unam dari personam, testimonia probant Scripturæ, pluralitatem quandam in DEO annuentia; ubi diversi dictorum constitui possunt ordines.

1. Personarum pluralitas demonstratur. Primus ordo.

XXXV. In primo ordine producimus illa Scripturæ dicta, in quibus plurale  de Deo usurpatum legitur. Frustrâ enim hoc fieri nemo sanæ mentis concedet: atque hinc certò concludimus, pluralitatem in Deo notari. Et quia Scriptura passim docet Deum esse Unum; necessariò sequitur; *quando Scriptura de Deo loquitur in plurali, non pluralitatem notari Essentiæ; sed personarum, ut habet Canon Theologorum.*

XXXVI. Primarium hujus assertionis fundamentum petitur ex *Gen. 1. v. 1. In principio creavit Elohim coelum & terram.* Hoc in loco Moses utitur plurali Elohim, non singulari  ad indicandam personarum pluralitatem; & adjungit verbum singulare creavit, ad notandam essentiæ unitatem.

XXXVII. Evertere hanc assertionem volentes Judæi & judaizantes Pontificii, varia quaerunt subterfugia, certa tamen inveniunt

Esfugia adversariorum

ex-
ex
he
m
ost.
er
so
de
n
L,
ri-
e

Pe-
on-

na-
fi-
ate,
sub-
at

m
da
arū
nu-
di-
lo-
po-
us;

veniunt nulla. *Quidam dicunt, per Elohim plurale notari Angelos, utpotè qui causæ sociæ Creationis fuerint: Alii volunt, voce Elohim significari quidem pluralitatem, verùm non personarum, sed virtutum & proprietatum Dei: Cajetanus statuit, nomen Elohim sensu esse singulare; inflexione tantùm fieri plurale, quia numero singulari destituatur: Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 6. col. 385. A. putat plurale adhibitum esse, consuetudine Scripturæ, quæ de illustribus personis loquatur pluraliter, cum intelligendum sit singulariter; eâdem ratione, quâ Reges & Principes hodie decretis suis præfigere solent: Nos Dei gratiâ, &c.*

Refutantur.

XXXVIII. Sed vana & frivola esse ista, quis non videt? Deum in creatione habuisse socios, expressis Scripturæ testimoniis repugnat. Ita enim Scriptura, *Psal. 89. v. 12. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus Tu fundasti: v. 13. Aquilonem & meridiem tu creasti. Nehem. 9. v. 6. Tu ipse Domine, SOLUS tu fecisti cælum & cælum cælorum &c. Esa. 44. v. 24. Ego Jehovah faciens omnia & extendens cælos SOLUS. Similia leguntur Esa. 48. v. 13. Jer. 10. v. 12. c. 27. v. 5. Zach. 12. v. 7. & alibi.*

XXXIX. Proprietatum Dei pluralitatem notari quidem dicunt, sed probare nullo modo possunt; cum in nullâ linguâ hoc fieri certum sit, ut rem singularem, ob virtutum multitudinem, numero plurali efferamus, notante *Dn. D. Meisnero Part. II. Phil. Sobr. Sect. 1. cap. 3. quest. 1.*

XL. Elohim carere singulari, dum Cajetanus asserit, insignem Linguæ sanctæ ignorantiam ipse prædit; cum in fontibus Hebraicis singulare Eloah, unde Elohim fit, sæpius usurpatum reperitur, ut *Hab. 3. v. 3. Job. 3. v. 4. c. 4. v. 9. & 17. Psal. 114. v. 7. & aliis in locis plurimis.*

XLI. Mosén de Deo loqui more Magnatum, verisimile non est, cum constructio isthæc Hebræis admodum familiaris sit: ideoq; Catachrestica sive abusiva, vel Synecdochica esse non potest; quæ omnia fusius refutata & deducta videri possunt in *Part. II. Phil. Sobr. l. d. & reliquis authoribus ibidem citatis.*

42 Acce-

XLII. Accedit & hoc, quod voci Elohim interdum Scriptura adjungat adjectivum plurale, quod fieri nullo modo posset, nisi pluralitatem aliquam innueret, ut Deut. 5. v. 26. *Quid est omnis caro, ut audiat vocem Elohim viventium?* interdum verbum plurale, eandem ob causam, ut Gen. 20. v. 13. *Postquam errare me fecerunt Elohim de domo Patris mei.*

XLIII. Tenenda hinc potius gemina Hebræorum Regula; quarum I. *Cum numerus pluralis absq; Enallage & Catechresi ponitur, tunc sunt reverà plures.* II. *Verbo singulari nomen plurale adjunctum distributionem in plures notat.* Exempla Regularum sunt Gen. 1. v. 14. *Sit luminaria* Gen. 49. v. 22. *Filiae incessit*; quibus in locis distributio fit in plures, hoc sensu: Unum quodlibet luminarium fiat: Quælibet filia incessit: Sic & in dicto nostro, *Creavit Elohim*, id est; *Qualibet persona creavit*, ut notavit Dn. D. Balduin. in *pralect. publ. de Conscientiâ, lib. II. cap. 2. Cas. 2.*

XLIV. Creaturis quidem tribui interdum vocem Elohim, non imus inficias; sed alio planè sensu, & usu, cum plærunq; plurale habeat additum, vel aliam adjectam notam, unde colligi possit, non de Deo, sed creaturis intelligendam esse.

XLV. Hinc tale nectimus argumentum: *Quemadmodum Scriptura loquitur de Deo; sic & nos de Deo loqui & sentire debemus: Atqui Scriptura loquitur de Deo, tanquam de pluribus: Ergò. Major est per se manifesta: Minor hæctenus probata est.*

XLVI. In secundo ordine allegamus ea dicta, in quibus ipse Secundus
ordo. Deus in plurali de se loquitur, quorum quatuor tantùm in Scripturâ reperiri notant Theologi, ut: Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram* Gen. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis.* Gen. 11. v. 7. *dixit Deus: Descendamus & confundamus linguam eorum.* Esa. 6. v. 8. *Audivi vocem Domini dicentis, Quem mittam & quis ibit nobis?* quibus Reuchlinus addit, Mal. 1. v. 6. *Si Domini ego, ubi est timor meus?*

XLVII. In his locis Deus de se loquitur in numero plurali, hinc rectissimè infero, quandam pluralitatem esse in Deo. Nam de Deo discendum est, quid de Deo intelligendum, & Deus non nisi Deo auctore cognoscitur, teste Hilario lib. 5. de Trin.

XLVIII. Licet enim objiciant adversarii, Deum in his locis de se loqui *ὁ θεὸς ὁ πᾶσι θεός*, more Principum numero plurali auctoritatem & majestatem suam declarantium, falsum tamen hoc esse, superius est dictum. Et ut magis falsitas elucescat, notandum, Exemplum in totâ Scripturâ reperiri nullum, quo Principes de se loquentes plurali numero usi sunt, ut *Gen. 14. v. 21. Da mihi animas. Item. Gen. 41. v. 15. 17. 22. 24. &c. 2. Paral. 36. v. 23. Daniel. 2. v. 3. & 8. cap. 3. v. 14. cap. 4. v. 1. seqq. cap. 5. v. 14. 15. 16. immò ne quidem decreta Regum pluraliter efferuntur, ut *Dan. 3. v. 98. seqq. exemplo Nebucadnezaris; & Darii, Dan. 6. v. 26.**

XLIX. Hinc in Concilio Sirmiensi talis legitur Canon: *Si quis istud, faciamus hominem, non Patrem ad Filium, sed ipsum ad seipsum dixisse Deum dicat, anathema sit, referente Socrat. lib. 2. hist. Eccles. cap. 25. & Hist. Tripart. lib. 5. cap. 7. Et Theodoretus notat in Gen. Si Deus hanc aliorum populorum consuetudinem imitari voluisset, sine dubio fecisset hoc in promulgatione Decalogi, ubi majestatem suam omnium maximè declaravit, quod tamen ibi non reperitur.*

Tertius ordo. L. Tertius ordo continet testimonia, in quibus Deus de Deo, & Dominus de Domino loquitur. Præcipua sunt *Gen. 19. v. 24. Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhâ sulphur & ignem à Domino de caelo. Psal. 110. v. 1. Matth. 22. v. 44. Dixit Dominus Domino meo. Exod. 34. v. 5. & 6. Psal. 45. v. 7. & 8. Hebr. 1. v. 8. & 9. Jer. 23. v. 5. & 6. 33. v. 15. & 16. Dan. 9. v. 17. Hes. 1. v. 4. & 7.*

LI. Ex his iterum abundè satis apparet, pluralitatem quandam in Divinitate dari. Nam Dominus, qui pluit, & Dominus, à quo pluit; Dominus, qui prædicat, & Dominus, de quo prædicat: Dominus dicens, & Dominus, ad quem dicit; una persona esse nequeunt; neque reciprocatio hîc locum habere potest, ac si intelligendum sit, Dominus pluit à seipso, Dixit Dominus ad seipsum &c. Hinc *Socrates l. d. cap. 30. alium refert Canonem Concilii Sirmiensis: Si quis illud, quod scriptum est, pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio perceperit, sed Deum Patrem à seipso pluuisse dixerit, anathema sit.*

LII. *Quartus ordo* exhibet dicta, in quibus Jehovah dicitur *Quartus ordo.*
Angelum mittere, cui nomen Jehovah, vel cui opera etiam divina
adscribuntur. Hinc ita argumentor: *Cuiusq; 1. vere competit*
nomen Jehovah, & 2. opera soli Deo propria adscribuntur; ille est verus
Deus: Sed præter Jehovah etiam Angelo hæc tribuuntur. E. Præter Je-
hovah etiam ille Angelus erit verus Deus.

LIII. Major patet, Jehovah enim nomen Dei est propri- *Jehovah no-*
um; hinc fit, ut cum reliqua nomina Dei metaphoricè etiam Crea- *men Dei pro-*
turis tribuantur, solum nomen יהוה ita proprium sit Deo, ut nul- *primum*
li Creaturæ possit tribui, juxta illud *Esa. 42. v. 8. Ego Jehovah, hoc est*
nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.

LIV. Hinc Rabini nomen hoc *תְּשַׁבְּחֵהוּ אֱלֹהֵינוּ* vocant & *Rabinis tetra-*
diver *דָּוָן* seu ineffabile dicunt, atq; ob reverentiam non pro- *grammaton.*
nunciant, sed in ejus locum substituunt semper Adonai. Immo
Judæi quidam in hoc vocabulo mysterium esse Unitatis & Trini-
tatis dicunt: Per י enim intelligi Patrem, qui est principium & o-
rigo omnium rerum; per ה Filium, per quem omnia facta sunt; per
ו, quæ conjunctio copulativa est, Spiritum sanctum, qui est amor
& nexus utriusq; ab utroq; procedens: per geminatum verò ה alter-
ram in Christo naturam, humanam scilicet denotari; referente
Chemnitio Tom. I. fol. 68. B. Similia multa de hoc nomine habet
Buxtorfius in Lexico suo Hebraico, pag. 154. usq; ad p. 164.

LV. Opera autem divina, nemo nisi solus Deus facere pot-
est; Prophetæ quidem & Apostoli opera divina interdum fece-
runt; factum autem est hoc virtute non propriâ, sed alienâ, nimi-
rum Dei, qui non semper omnia ἀμέλως, sed multa quoque ἐμέ-
λως, per sanctos suos præstitit.

LVI. Ad stabiliendam *minorem* producimus dicta, *Exod. 23. Angelus dici-*
v. 20. Ego (Jehovah) mittam Angelum meum, nomen meum est in illo. tur Jehovah.
Sic *Gen. 16. v. 7. Angelus, qui apparuit Hagari, vocatur Jehovah. v. 13.*
Angelus qui apparuit Abrahamo, dicitur Jehovah, Gen. 22. v. 16. Et
Gen. 31. v. 11. & 13. Angelus Jehovahi. e. Filius Dei dicitur Deus Be-
thel: Deus autem Bethel dicitur esse Jehovah Gen. 28. v. 13. & c. 31.
v. 13. Qui Gen. 32. v. 24. Angelus, sive vir, appellatur, eum Hoseas
c. 12. v. 4. Jehovah esse dicit, & Jacobus Gen. 32. v. 30. & c. 48. v. 16.
Jeho-

Jehovam esse sentit. Qui *Jud. 6. v. 12.* Angelus Jehovæ dicitur; idem *v. 14 & 16.* Jehovah & Deus nominatur.

Angelo tribu-
untur opera
divina.

LVII. Opera divina quoq; huic tribuuntur Angelo, ut præcedere castra Israel, & illa sequi *Exod. 14. v. 19.* impenitos non relinquere peccatores *Exod. 23. v. 21.* introducere in terram Canaan *v. 23.* eruere de omnibus malis *Gen. 48. v. 16.* salvare populum *Esa. 63. v. 9.* redimere, portare & sustinere eos cunctis diebus sæculi, *ibid.* quæ omnia aliis in locis Deo soli adscribuntur. Ex quibus omnibus apparet, Angelum istum non esse creatum, sed increatum, adeoq; verum Deum, & per consequens, si præter Deum, qui Angelum misit, ipse Angelus est Deus, plures erunt in Deitate personæ.

LVIII. Huc multum facere videtur apparitio facta Mofi. Nam dicitur ibi *v. 2.* Apparuit Mofi Angelus Domini in flammâ ignis, de medio rubi: qui hîc apparet, vocat Mosen *v. 4.* & dicit se esse Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi *v. 6.* se esse Ero qui Ero, *v. 14.* Jehovah, *v. 14.* pergit Angelus, se vidisse afflictionem populi sui *v. 7.* se liberaturum esse populum de manibus Ægyptiorum & deducturum in terram bonam *v. 8.* missurum Mosen ad Pharaonem *v. 10.* &c. quæ omnia iterum increato Angelo tantum, possunt competere, qui est verus Deus, nimirum Dei Filius. Pater enim Angelus nullibi dicitur, quia neminem habet, à quo mittatur.

Quintus
ordo.

LIX. Quintus ordo profert dicta, quæ probant, in Deitate esse alium atque alium. Ubi enim datur alius atq; alius, ibi pluralitatem innui nemo sanus negabit: Atqui in Divinitate datur alius atq; alius. Ergò.

LX. Hinc veteres dixerunt: In Deitate non esse ἄλλο ἢ ἄλλο, aliud atque aliud; sed ἄλλο ἢ ἄλλο ἢ ἄλλο, alium atque alium: ἄλλο enim essentiam, ἄλλο ἢ ἄλλο verò personas denotat. Ut *Joh. 5. v. 32.* Alius est, qui testimonium perhibet de me. *Joh. 14. v. 16.* Ego rogabo Patrem, & alium Paraclëtum dabit vobis. Huc pertinet & illud *Joh. 8. v. 54.* Est Pater meus, qui glorificat me.

LXI. Plura hîc quidem testimonia proferri possent, pluralitatem in Deitate arguentia; notata tamen sufficere possunt, ne
nimium

nimum pagellæ istæ excrescant. Probata itaq; hæcenus satis Personarum pluralitate; Trinitas porro evincenda erit.

2. Personarum Trinitas deducitur

LXII. Ratione Essentiæ suæ Deus quidem infinitus est; personarum tamen numerus in infinitâ illâ Deitatis essentiâ finitus est, nempe ternario determinatus, cum ipse Deus in sacris literis ad istum numerum se restrinxerit: adeoq; sicut Unus est Essentiâ, sic quoque personis Trinus credendus & adorandus est.

LXIII. Hanc porro Trinitatem personarum probamus, partim ex V. partim ex N. T. Quanquam enim non tam clara V. T. sint testimonia, quam quidem N. sunt; cum lux horum mysteriorum clarior N. T. reservata sit: attamen mysterium hoc Patribus sanctis ante Christum natum, non omninò ignotum fuisse, sed etiam satis innotuisse probant sequentia.

LXIV. Ex V. T. igitur quatuor potissimum classes testimoniorum nostri solent proferre Theologi; quarum Prima continet ea dicta, in quibus tres personæ Deitatis distinctè enumerantur, ut *Gen. 1. v. 2. Spiritus Domini incubabat aquis, dixitq; Deus, fiat lux.* Ex Veteri Testamento 1. Classis.

LXV. Per Spiritum non aër notatur, ut Rabini volunt, Aer enim in illo principio nondum fuit; & si aër intelligendus esset, per Spiritum; non adderetur vox Domini, (Spiritus Domini) neque efficacia & Virtus Dei, juxta Calvinum; sed tertia Trinitatis persona, ut apparet ex *Psal. 33. v. 6.*

LXVI. Per τὸν dicere verò λόγος, id est, Filius Dei indigitatur, qui ideò in Bibliis Chaldaicis frequentissimè Meimerah appellatur. Hinc *Joh. 1. v. 3.* inquit, quod per λόγον omnia facta sint, & sine eo factum sit nihil, quod factum est.

LXVII. Sic *Psal. 33. v. 6.* legitur: Verbo Domini caeli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. *Esa. 42. v. 1.* Ecce servus meus, sustentabo eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum. Per servum notari Filium probat *Matthæus cap. 12. v. 8.* Sic *Esa. 63. v. 9.* Angelus faciei ejus, (nim. Patris) salvavit eos, v. 10. ipsi autem ad iracundiam provocaverunt & affluerunt Spiritum sanctum ejus.

LXVIII. Secunda classis proponit ea dicta, in quibus Nomen Jehovah vel Dei tribus distinctis vicibus in unâ sententiâ repetitur, 2. Classis.

C

citur,

titur, ut Num. 6. v. 24. Benedicat tibi Dominus. v. 25. Illuminet Dominus faciem suam tibi. v. 26. Attollat Dominus vultum suum ad te. Ps. 67. v. 8. Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terra. Hinc Flaminius in Paraphrasi verba hæc non incommodè ita reddit: Deus Pater benignè faciat nobis, Filium mittens: Deus Filius benignè faciat nobis, Patrem reconcilians: Deus Spiritus sanctus benignè faciat nobis, Patrem Filiumq; demonstrans. Esa. 33. v. 22. Dominus Judex noster, Dominus legis noster, Dominus Rex noster; ipse salvabit nos. Jer. 33. v. 2. Sic dixit Jehovab, qui facit, Jehovab qui format, Jehovab est nomen ejus. Dan. 9. v. 19. Exaudi Domine, placare Domine, attende Domine.

3. Classis.

LXIX. In tertîâ classe solent proferre *ἁγίου* Angelicum, Esa. 6. v. 3. Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus exercituum. Notari hîc tres personas Deitatis apparet exinde, quod in N. T. accommodatur ad Filium Job. 12. v. 41. & ad Spiritum sanctum Act. 28. v. 25. Vox enim tertium inculcata Sanctus, Trinitatem; vox singularis numeri Dominus exercituum, unitatem significat essentia, interprete Hieron. in Esa. & August. de fid. ad Petr. Diac. cap. 1.

LXX. Et notanda est commentatio super hunc locum, quam habet R. Simeon, Filius Johai: Sanctus hic est Pater, Sanctus hic est Filius, & Sanctus hic est Spiritus Sanctus. Et Weidneri in Locis scribentis, citante Dn. D. Jac. Martini Lib. II. de trib. Elohim cap. 27. p. 341. Cur ter tantum Sanctus dicunt magis, quam semel, vel bis, vel decies, vel centies, vel alio numero aliquo? Cur, si breviter laudare vellent, semel Sanctus non dicerent: si verò multum, cur non centenum vel millenum numerum usurpant? Sed dixit ter, quia tres sunt divinae personae. Et paulò post: Et manifestum est, quod universa Judeorum Synagoga bis singulâ die, mane scilicet & vespere, magna veneratione & cultu profert, & meditatur hanc Prophetiam Esa. 6. quod quidem tanquam rem arcanam, & non nisi sapientibus revelatam, à Majoribus suis observatam, & quasi per manus traditam accepit. Quod ipsum docet Petrus Galatinus de arcan. Cathol. verit. lib. 2. cap. 1.

4. Classis.

LXXI. In quartâ classe proponunt loca, in quibus Deus de Deo loquitur, juxta Regulam Beati Lutheri de ult. verb. Davidis: Ubicunq; in Scripturâ legis, Deum loqui de Deo, tanquam personam de personâ,

sonâ, ibi rursus adfirmes, significari tres personas Divinitatis : Duabus enim nominatis, simul significatur persona Spiritus sancti loquentis in Scripturâ juxta illud 2. Pet. 1. v. 21. & 2. Sam. 23. v. 2. dicta huc pertinentia supra sunt apposita th. 50.

LXXII. Illustriora jam sequuntur N. T. testimonia, quibus Trinitatis mysterium stabilimus. *Initium facimus à Jesu Christo in Baptismo Christi factâ; de quâ ita loquitur Matth. 3. vers. 16. 17. Marc. 1. v. 10. 11. Luc. 3. v. 22. Job. 1. v. 32. Matthæus ita habet : v. 16. Baptizatus autem Jesus, confestim adscendit de aquâ; & ecce aperti sunt ei caeli: & vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super ipsum. v. 17. Et ecce vox de caelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ex N. T.
I.

LXXIII. Tanti fecerunt hoc testimonium antiqui Ecclesiae Doctores, inprimis Epiphanius contra Sabellium, ut scripserit: *Si non credis in divinâ Essentiâ, quæ unica est, esse tres distinctas personas, comitare Johannem ad Jordanem, & videbis.* Filius enim humanâ naturâ indutus stat in Jordane & baptizatur; Spiritus sanctus corporali specie, quasi columba de caelo descendit, & super Christum manet; Pater tandem è caelo clarâ voce pronunciat; *Hic est Filius meus dilectus*: quod quidem ipsius sensus judicium adversarii eludere nullo modo possunt.

LXXIV. Similis apparitio distincta recitatur *Matth. 17. v. 5. Marc. 9. v. 7. Luc. 9. v. 34. 35. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; Et ecce, vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Hic iterum Christus in monte stat; vox Patris de caelo auditur, & Christus nube, per quam plerique antiqui Patres S. S. denotari putant, obumbratur.

LXXV. Ex his ita concludimus:

Ubi cunq; plures distinctæ operationes, & quidem personales indignantur, ita ut ab unâ persona provenire omnes nequeant; ibi sunt plures persone:

Sed in his apparitionibus hoc fit. Ergo.

LXXVI. Major constat: Minorem probamus, quia 1. vocem proferre personæ sive suppositi est, & hoc una fecit persona. 2. stare, baptizari, ex aquâ adscendere itidem suppositi est, unda

secunda apparet persona, 3. visibiliter descendere & videri oculis corporeis, non virtuti, sed supposito convenit, hinc tertia persona demonstratur. Nam qui de cœlo clamat, non stat in Jordane, nec super Christum visibiliter descendit: qui stat in Jordane, non de cœlo clamat, neque descendit super stantem in Jordane: qui descendit & venit super Christum, non de cœlo clamat, neque stat & baptizatur. Idem demonstrari posset ex apparitione alterâ.

LXXVII. Licet enim dicatur de Spiritu sancto, quod descenderit sicut columba; non tamen modum tantum concernit, quod Photinianis placet ex Græcâ voce *ω(cei)*, referentibus illam non ad columbam, sed modum descensus; sed Lucas cap. 3. v. 22. expressè adfirmat, Spiritum sanctum descendisse corporali specie in Baptismo Christi; hoc est, Spiritum sanctum assumpsisse speciem corpoream, repræsentantem columbam; aliàs columba *Φάντασμα* tantum fuisset, adeoq; intuentium oculis *γλάυκωμα* objectum fuisset, quod in hoc mysterio vel cogitare tantum, *αἴθερον* est.

LXXVIII. Quod autem dicitur *Joh. 1. v. 33. Spiritum sanctum mansisse super Christum*, non intelligenda sunt hæc verba, sicut illud *Joh. 3. v. 36. Ira Dei manet super eum*, ut *Smalcus* interpretatur. Longè enim alia ratio est horum verborum: De Spiritu enim sancto dicitur, non tantum quod manserit, sed &, quod visibiliter descenderit & manserit, quæ sejungenda non erant: hoc enim de Irâ vel misericordiâ Dei nullibi in sacris dictum reperies: Iram nimirum, vel Misericordiam, vel aliud attributum divinum, speciem corpoream assumpsisse & descendisse; quod non virtutibus aut attributis divinis, sed personis competit. Sic de Patre suo Christus ait *Joh. 14. v. 10. Pater in me manens, facit opera*: Ergò neq; Pater persona erit, quia persona in personâ manere non potest ex illorum sententiâ; quod tamen ipsi concedunt.

LXXIX. Deinde assumimus illa dicta, in quibus expressa fit mentio Patris, Filii & Spiritus Sancti. Primarium est Institutio Baptismi nostri, quam habet *Matth. cap. 28. v. 19. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Super quem locum eruditè *Basilii* Epist. 78. scribit: *dei γδ ἡμῶς βαπτί-*

βαπτίζομαι μὲν, ὡς παρελάβομεν, πιστεύω δέ, ὡς βαπτίζομεθα:
δοξάζειν δέ ὡς πεπιστεύκαμεν, Πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

LXXIX. Quia ergo Photiniani Patrem, personam esse concedunt; & Filium quoque personam, licet non divinam esse statuant: hinc ita procedimus:

In quorumcunque nomine baptizamur, illos distinctas esse personas oportet.

Sed non in nomine unius, neque duorum, sed trium, nempe Patris, & Filii & Spiritus Sancti baptizamur:

E. Patrem, Filium, & Spiritum sanctum distinctas personas esse oportet.

LXXXI. Minor est in dicto. Major quoque constat, quia non nisi in nomine personæ baptizari possumus. Et quia baptizamur in nomine Patris & Filii, tanquam personarum; hinc sequitur nos baptizari quoque in nomine Spiritus sancti, tanquam personæ. Consequentiam hanc negare adversarii non possunt, neque rationem sufficientem dare, cur alio respectu in nomine Patris & Filii, alio verò respectu in nomine Spiritus sancti baptizari debeamus. Et quia unum tantum nomen hisce tribus tribuitur, non enim baptizamur ἐν ὀνόμασι, sed ἐν ὀνόματι, hinc rectè Unitatem essentiae horum trium colligimus.

LXXXII. Ulterioris probationis ergo urgemus cum Dn. D. Jac Martini lib. 2. de trib. Eloh. cap. 24. particulam copulativam repetitam Et, ut & Emphasin articuli Græci καὶ, tribus vicibus repetiti, καὶ Πατρός, καὶ καὶ υἱός, καὶ καὶ ἁγίου πνεύματος, quod ipsum agnoscit Infaustus ille Faustus Socinus lib. de Baptismo aqua c. 2. ex alio suæ Fidei socio hæc referens verba: *Sed ego, quorum illic mentio fiat, dubium aut obscurum esse nego, quia non simpliciter & indefinite verba prolata sunt, verum cum relatione manifestâ, addito singulis articulo, cujus tanta vis est, ut certos quosdam designet, &c.*

LXXXIII. Idem probatur aliis dictis, ut: Job. 14. v. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Hoc in loco expressè nominatur Christus rogans, Pater rogandus, & Spiritus dandus. Ibid. v. 26. Paracletus autem ille, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Hic habemus Paracletum, id est,

Spiritum sanctum mittendum & Doctorem, Patrem mittentem,
& Filium, in cuius nomine mittetur. Sic. *Job. 15. v. 26. Act. 10. v. 38.*
Rom. 8. v. 11. & 15. 2. Cor. 13. v. 13. Gal. 4. v. 6. Ephes. 1. v. 17. C. 2. v. 18.
C. 3. v. 14. & 16. Tit. 3. v. 4. & 6. 1. Joh. 4. v. 13. 14.

LXXXIV. Sic 1. *Job. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in
caelo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Ad quem
locum peculiariter excipiunt Photiniani; non reperiri illum in an-
tiquis Græcis, Syris aut Germanicis exemplaribus, & accusant
Hieronymum, quod primus hunc versiculum, adversus fidem alio-
rum, adjecerit. Sed falsum. Legitur enim in editione *Roberti Ste-*
phani, Complutensi, & Patribus antiquissimis. Neq; primus *Hierony-*
mus hunc versiculū allegat, sed multis ante eum seculis alii: seculo
secundo *Higinus* circa annum Christi 154. seculo tertio *Cyprianus,*
circa annum 250. seculo quarto *Athanasius* circa annum 325. in quo
seculo *Hieronymus* 60. post demum annis innotuit. Et probabilis
est sententia *Socratus, lib. 7. hist. Eccl. c. 32. & Histor. Tripart. lib. 12. c. 4.*
totam hanc *Johannis* Epistolam à quibusdam corruptam esse, ad-
eoque & hunc ipsum c. 5. versiculum 7. explosum, cum idem factum
fuerit versiculo tertio capitis quarti, *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum
ex Deo non est;* referentibus Clarissimis nostris Theologis in *Refut.*
Catechismi Racoviensis Artic. 3. Edit. Germ. p. 88. seqq.

3. LXXXV. Quibus ultimo loco annectimus illud *Pauli Rom. 11.*
*v. 35. Quis prior dedit Domino, ut retribuatur ei? v. 36. quoniam èξ αὐτῶν,
καὶ δι' αὐτῶν, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα,* ipsi gloria in secula; quibus par-
ticulis distinctivis personarum discrimen ostendunt *Nazianzenus*
& *Patres* alii.

3. Singula-
rum persona-
rum divini-
tas, & by-
postasis de-
monstratur.

LXXXVI. Ex his omnibus Sole meridiano clarius esse ap-
paret, doctrinam nostram de personarum Trinitate in unâ Dei Es-
sentiâ orthodoxam, adeoque in Scripturis sacris solidè fundatam,
isq; satis firmatam esse, ita, ut ne ipsa quidem inferorum porta prava-
lere possint *Matth. 16. v. 18. firmior hic est sermo Propheticus (& Apostoli-
cus,) cui benè facimus, attendentes quasi lucerna, lucenti in loco caliginoso:
sic enim dies illucescet, & Lucifer oriatur in cordibus nostris, 2. Pet. 1. v. 19.*
Restat jam, ut aliquid de singulis personis in specie, earumq; con-
venientiâ & differentiâ, paucis tamen, agamus.

LXXXVII. Est autem Pater prima persona Trinitatis, ab aeterno gignens Filium sibi ὁμοούσιον & unā cum eo spirans Spiritum sanctum, cum utroq; creans, conservans & gubernans omnia, mittens Filium Redemptorem, & Spiritum sanctum sanctificatorem.

Patris descriptio
Gerh. Tom. I.
Loc. 4. c. 14.
§. 85.

LXXXVIII. Vocabulum Patris sumitur de Deo vel ἁπλοῦς sive essentialiter, quo sensu omnibus tribus personis tribuitur: sic Filius dicitur Pater futuri seculi Esa. 9. v. 6. & Spiritus sanctus Pater pauperum ab Ecclesiā; vel ἰσοσταθικῶς sive personaliter, pro primā duntaxat personā Trinitatis, gignente Filium ὁμοούσιον, & hoc sensu in hoc loco sumitur; & recte dicitur, Filius non est Pater, Spiritus sanctus non est Pater, nimirum ἰσοσταθικῶς.

LXXXIX. Filius Dei est secunda persona Trinitatis, ab aeterno genitus à Patre, Spiritum sanctum spirans unā cum Patre, omnia creans & conservans cum utroq; qui Homo factus est in tempore, ut nos homines à peccato & morte aeternā liberaret.

Filii descriptio.

XC. Personam esse Filium Photiniani non negant, negant autem esse personam divinam, id est, Deum. Adstrui autem potest Deitas Filii 1. quia Filio tribuitur nomen Dei essentialia $\pi\eta\eta$ & $\kappa\upsilon\epsilon\iota\omicron\varsigma$. Jer. 23. v. 6. & c. 33. v. 16. Joh. 20. v. 28. 2. quia attributa Dei essentialia adscribuntur Filio, ut aeternitas Psal. 2. v. 7. Joh. 8. v. 58. omnipraesentia, Matt. 28. v. 20. omniscientia Joh. 16. v. 30. omnipotentia Apoc. 1. v. 8. 3. quia illi opera divina attribuuntur, in genere Joh. 5. v. 17. in specie creatio Joh. 1. v. 3 Col. 1. v. 16. conservatio Col. 1. v. 17. Hebr. 1. v. 3. potestas faciendi divina miracula Joh. 2. v. 11. c. 3. v. 2. c. 5. v. 36. c. 9. v. 32. c. 10. v. 38. c. 20. v. 31. redemptio Esa. 45. v. 17. Act. 20. v. 28. 4. quia illi cultus divinus competit, Fides Joh. 14. v. 1 Spes Col. 1. v. 27. 1. Tim. 1. v. 1. dilectio 1. Cor. 16. v. 22. adoratio 1. Cor. 1. v. 2. Phil. 2. v. 10. Apoc. 5. v. 8. seqq.

Deitas probatur.

XCI. Exercitii gratiā ulterius placet unum atq; alterum divinitatis Christi argumentum contra Photinianos annectere ex cap. 1. Joh. versic. tribus prioribus. Primarium argumentum esto hoc:

Joh. 1. v. 1.
2. 3.

Quicumq; 1. fuit in principio, 2. fuit apud Deum, 3. fuit Deus ipse; ille non est $\psi\iota\lambda\omicron\varsigma$ $\alpha\nu\theta\rho\omega\pi$ & sive nudus homo:

Sed de $\lambda\omicron\gamma\omega$ dicitur, 1. quod fuerit in principio, 2. apud Deum, 3. Deus ipse:

E. $\lambda\omicron\gamma\omega$ non est nudus homo.

2. Hic,

X C II. Hic, ut sua Majori & Minori constet certitudo & veritas, ante omnia phrasas explicandæ & vindicandæ veniunt. Photiniani phrasin in Principio, intelligunt de principio Novi Testamenti; ut hic sensus emergat, In principio N. T. Evangelii erat verbum, id est, Christus verbum Dei hominibus promulgans. Potissimam expositionis hujus rationem exinde petunt, quod Scriptura vocem principii non absolutè, sed limitatè referat ad id, de quo fit sermo, hoc est, ad scopum Evangelistæ; sermonem autem hoc in loco fieri de Messia, qui in principio Evangelii jam venerat & se manifestaverat.

Quæ res
tatur,

X C III. Verùm falsissima esse hæc facilè apparebit, si scopum Johannis attendamus, qui est, divinitatem λόγος demonstrare. Nam reliqui Evangelistæ nativitatem Messia temporalem ex Mariâ factam prolixè descripserant; Johannes ergò, loco ultimo scribens, ex blasphemii Ebionis & Cerinthi occasionem arripit, nativitatem Filii Dei æternam, adeoq; divinitatem Christi uberius probandi, teste Eusebio lib. 3. Hist. cap. 27. Augustino & aliis.

X C IV. Hanc autem probaturus respicit ad v. 1. Geneseos ubi dicitur, In principio creasse Deum cælum & terram, & dicit, In principio, nim. illo creationis erat λόγος, & in illo principio erat apud Deum, & in illo principio erat ipse Deus, inq; illo principio omnia creavit: Quem ad modum enim Moses testatur dicendo omnia facta esse; sic Johannes per λόγος omnia condita & creata esse asserit.

X C V. Unde ita concludimus:

Quicumq; fuit in principio, nim. creationis, ille fuit ante ipsam creationem; aliàs non in principio fuisset, sed post principium; & verbum ἦν ipsam existentiam actualem, non principium existendi denotat:

Atqui λόγος fuit in principio, nim. Creationis:

E. λόγος fuit ante ipsam creationem.

Ulterius:

Si λόγος fuit ante creationem, necesse est λόγος esse Deum; quia ante creationem præter Deum, nemo fuit:

Sed verum Antecedens. E. Et consequens.

96. Aliàs

XCVI. Aliàs nihil singulare ista continerent verba; quod tamen initium illorum ex abrupto quasi factorum manifestè insinuat. Et, si hæc Photinianorum valet explicatio, eodem modo mea valere potest, si ista de Johanne Baptistâ exponerem: *In principio nimirum Evangelii, cujus primus præco fuit Johannes, erat verbum, id est, Johannes; cum Johannes dicatur vox clamantis Esa. 40. v. 3. Matt. 3. v. 3. quod eruditè monet Dn. D. Franzius in Præfat. vindictar. Aug. Conf. contra Smalcium.*

XCVII. *Esse apud Deum Photiniani explicant per Phrasin, notum esse Deo; ut hic sensus emergat; λόγος erat apud Deum, hoc est, Jesus soli Patri erat notus, quod ipse esset verbum ejus & Salvator mundi. Explicationem hanc, cum iterum nullo nitatur fundamento, meritò rejicimus, & statuimus, literalem sensum retinendum esse, cum nullum exinde possit deduci absurdum, & id ipsum verba Textus clarissima satis loquantur.*

Esse apud Deum quo modo explicent Photiniani.

XCVIII. Adhibetur enim iterum verbum εἶναι, quod hoc in loco exponi debet per Est, non tertii, sed secundi adjecti, id est, per existit: jam verò εἶναι explicare velle, per notum esse, quis unquam Græcorum concedet? Sic enim innumera Scripturæ dicta aliter exponenda forent, quod proprietates linguæ non concedit: ut *Marc. 6. v. 3. Sorores ejus, ἀδελφὰς ἡμῶν εἰσὶν, dicendum esset, sunt nobis nostræ: & sic in aliis.*

XCIX. *Enjedinus tamen Creaturas in principio fuisse apud Deum, non esse absurdum putat; quia Deo omnia sint præsentia, nihil Deo esse possit præteritum aut futurum. Sed respondemus, Deo omnia esse præsentia, immò præsentissima, tam futura, quam præterita, lubenter damus, immò sanctè credimus. Antea autem dictum est, hinc non præsentiam quamcunq; sed existentiam quoq; denotari; quam hanc exceptione non destruit. Distinguimus ergò inter modos præsentia: Est aliquid Deo præsens vel ratione ὑποθέσεως & realis existentia, quo modo solum Filium & Spiritum sanctum ante Creationem Deo Patri præsentem fuisse concedimus: vel ratione intuitus & decreti divini, ab æterno facti quo decrevit Deus, se in tempore Creaturas producere velle, & hoc sensu de Creaturis concedimus. Sic Sol, Luna, arbores Paradisi &c. ab æterno*

D

apud

apud Deum fuerunt, nim. ratione intuitus, non autem ratione
ὑπάρξεως, cum in Hexaëmero cum reliquis Creaturis à Deo
principium sumpserint.

*Esse Deum
quid sit.*

C. *Esse Deum* explicant per phrasin, divinum gerere officium, & Deum repræsentare. Sed unde probabunt? Cum de Magistratu dicitur, explicatio hæc tolerari posset, verum hoc in loco non accipimus; Non enim sequitur: In quodam loco Deus usurpatur de Deo nuncupativo, ut loquuntur; Ergò etiam in hoc loco, Nam de Deo vero, non nuncupativo loqui Johannem, opus soli Deo proprium v. 3. sufficienter probat.

C I. Hinc argumentor: *Aut λόγος dicitur Deus proprie, aut improprie: Sed non improprie. E. Proprie. Major patet, quia plures significationes unius vocis dari nequeunt. Minor probatur, ex opere Creationis, quod Johannes huic λόγῳ tribuit: Opera enim divina efficere, præter solum Deum nemo potest.*

C II. Unde alterum fluit argumentum:

Cuiusq; adscribitur rerum omnium creatio, ille est verus Deus:

Λόγῳ adscribitur rerum omnium creatio:

E. λόγος est verus Deus.

Major probatur ex Jesa. 44. v. 24. Hebr. 3. v. 4. Minor est in Textu v. 3. & repetitur v. 10.

C III. Sententiam hanc nostram iterum eludere pravis suis detorsionibus conantur, sed frustra. Dicunt enim, verba illa, *omnia per illum facta sunt*, sic intelligenda esse, omnia per Christum facta esse, quæ ad prædicationem & confirmationem Evangelii pertinebant. Sed constat ex superioribus, per principium, non intelligi, principium Evangelii, sed creationis unde ex falsa hypothesis hanc explicationem provenire quilibet videt.

C IV. Dicit enim Johannes, omnia facta esse per λόγον, quæ autem sint illa omnia, explicat Paulus Col. 1. v. 16. nimirum *universa in cælis & in terrâ, visibilia & invisibilia &c.* Et quod Joh. dicit *πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο*, id Paulus l. d. profert, *τὰ πάντα δι' αὐτοῦ ἐκτίσται*. Vides una eademq; verba, & loco ἐγένετο adhibitum, esse à Paulo ἐκτίσται, ne suum effugium in verbo ἐγένετο quærere possint.

105. Quod

CV. Quod autem excipiunt, Non dici Christum omnia creasse vel fecisse, sed addi præpositionem Per, *Per Christum* ἢ λόγον omnia facta esse, quæ instrumenti nota sit. Ex hac ipsâ falsâ suâ hypothesi, optimè convinci possunt. Si enim concedunt omnia per λόγον creata esse, tanquam per instrumentum; necessariò sequitur, λόγον interfuisse Creationi; quomodo enim instrumentum operari potest, ubi abest? si autem interfuit Creationi, nondemum ortum sumpsit in utero Mariæ, sed multis seculis antè existit, adeoq; verus Deus est. Quæ omnia latius deduci possent, si instituti ratio ferret: aliàs enim divinitas λόγος per integrum Johannis Evangelium, argumentis numero plurimis, pondere gravissimis demonstrari felicissimè potest.

CVI. Spiritus Sanctus est tertia persona Trinitatis, à Patre & Filio procedens, ab eterno, omnia creans, conservans & gubernans cum utroq; qui mittitur in tempore, ut per Verbum & Sacramenta nos illuminet atq; sanctificet ad vitam eternam. *Spiritus S. descriptio.*

CVII. Homonymia vocabuli Spiritus hîc annotanda venit, ut potè quâ instructi, plæraq; adversariorum contra personalem Spiritus sancti existentiam, argumenta facilè refutare possumus. Spiritus ergò in hoc articulo de Deo sumitur vel ἁσιωδῶς & vel generaliter pro essentiâ divinâ, ut Joh. 4. vers. 24. vel specialiter, pro natura divinâ Filii, ut 1. Petr. 3. vers. 18. vel ὑποστατικῶς de tertiâ Trinitatis personâ, ut Joh. 14. v. 26. & alibi, vel ἐνεργητικῶς pro donis Spiritus sancti, ubi vel varia χαρίσματα Spiritus sancti notat ut 1 Cor. 12. v. 4. seqq. vel visibilia ejusdem dona super credentes effusa, ut Joh. 7. v. 39. Actor. 19. v. 6. Reliquæ significationes vocis Spiritus videri possunt sat multæ apud Chemnit. Tom. I. Loc. de Spiritu sancto fol. 104. 105. Gerhardum Tom. I. Loc. 6. Cap. I. Ursinum in Explicat. Catechet. Part. 2. quest. 53. pag. 368.

CVIII. Dicitur Spiritus 1. ratione essentiæ, quia essentia est Spiritualis. 2. ratione proprietatis personalis, quia ineffabili modo à Patre & Filio spiratur. 3. ratione operationis, quia in hominum cordibus motus accendit spirituales. 4. ratione modi agentis, qui sensibus non percipitur, sed efficaciam operationis agnoscitur. Sanctus etiam dicitur respectu essentiæ, operationis, & discriminis à malis spiritibus.

Socin. In c. 3.
Epist. Job.
Osterod. in
Inst. cap. 4.
pag. 32.

Personalitas
probat.

CIX. *Phetinianorum* de Spiritu sancto confessio est; Illum

non esse personam, licet sæpissimè attribuatur ei, quæ personarum sunt propria; fieri enim hoc more Scripturæ, quæ ejusmodi Prosopopæias sæpius proponat: sed esse virtutem Dei, & non quamvis, sed illam, quæ uno modo sanctificat.

CX. Contrariam sententiam Scriptura proponit, & nos ex illâ hoc medio:

Cuiusq; 1. competit personæ definitio, 2. omnia ea, quæ personis attribui possunt; ille vera Persona est:

Sed Spiritui Sancto ista comperunt. Ergo.

CXI. Minorem probamus quò ad prius membrum; quia personæ definitio competit Spiritui sancto. Est enim 1. *Subsistens*, quia assumpsit speciem corpoream Luc. 3. nulla autem qualitas aut motus cordium assumere & gestare potest corporalem speciem. Accidens enim non solum nullam assumit speciem, sed & ipsum indiget alio, in quo subsistat. 2. *Individuum*, quia expressè alius dicitur à Patre & Filio, Job. 14. Alius autem personarum, sicut aliud essentiae nota est. 3. *Vivens*, hinc ipsa dicitur vita Rom. 8. v. 10. & credentes vivificare v. 11. 4. *Intelligens*, Intelligit enim Spiritus sanctus omnia Gal. 3. v. 1. Cor. 2. v. 11. 5. *Incommunicabile*, quia ὑπόστασις Spiritus sancti non communicatur ὑπόστασις Patris aut Filii; neq; Patris & Filii ὑπόστασις communicatur ὑπόστασις Spiritus sancti. Essentia quidem communicabilis est, ὑπόστασις autem incommunicabilis, & hoc non naturæ, sed personæ, aliàs ὑπόστασις λόγος non potuisset communicari humanæ Naturæ. 6. *Non sustentatum ab alio*, quod patet ex jam dictis, quia per se subsistit, & quidem incommunicabiliter. Hinc tale formatur argumentum:

Quodcumq; est subsistens, individuum, vivens, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio; est persona.

De Spiritu sancto verum est prius.

E. Et posterius.

CXII. Quò ad alterum membrum, competunt Spiritui sancto omnia personarum propria. Competunt illi Nomina personalia, qualia sunt Deus & Dominus, quæ non idiomatum aut operationum, sed personarum nomina sunt. Epitheta personalia, dum dicitur

dicitur *ἀλλ' ὁ* Job. 14. v. 16. Paracletus *ibid.* Apparitio distincta in Christi Baptismo Matth. 3. v. 16. effusio visibilis die Pentecostes. Act. 2. v. 2. seqq. personalis character, nimirum *ἐκ πατρὸς ὁμιου*, quæ fit à Patre & Filio; de Patre autem & Filio hæc characteristica proprietas in sacris non dicitur. Opera & actiones personarum, quæ suppositorum non accidentium sunt, nimirum creare orbem Psal. 33. v. 6. homines docere, Joban. 14. vers. 26. prius audita in memoriam revocare, *ibid.* audire Job. 16. vers. 13. visibiliter apparere & descendere Matth. 3. v. 16. considerare & quiescere Act. 2. v. 3. quæ certè de personâ tantùm verè & propriè dici possunt, & hinc conjunctim sumta sententiam nostram fortiùs probant.

CXIII. Probato itaq; Spiritum sanctum esse personam *Deitas firmatur.* *ὄψιστον* per se subsistens, ultrò sequitur, esse personam, non humanam, sed divinam, cum omnia, quibus Deitas vel Patris vel Filii probatur, de Spiritu sancto verissimè dici queant. Tribuitur enim illi 1. Nomen Dei proprium Deus Act. 5. v. 3. 4. Dominus 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. 2. Cor. 3. v. 17. 2. attributa essentialia, ut æternitas Hebr. 9. v. 14. infinitas & omnipræsentia Psal. 139. v. 7. 8. Sap. 1. v. 7. & c. 3. opera Dei propria, ut Creatio Psal. 33. v. 6. Ecclesiæ gubernatio Act. 20. v. 28. 4. attributa externa solius Dei propria. In Spiritum sanctum peccatur Matth. 12. v. 31. 32. Spiritus sanctus in deserto fuit offensus Esa. 63. v. 10. Hebr. 3. v. 9. & c. Ergò Spiritus sanctus est verus Deus, quod demonstrandum erat.

CXIV. Interdum quidem tribuuntur Spiritui sancto ea, quæ non competunt personis, ut dari, vel ad mensuram, vel non ad mensuram, effundi & c. Sed respondemus, vocabulum Spiritus sumitur vel *ὡσαύτως*, vel *ἐνεργητικῶς*, καὶ *ὡσαύτως* Spiritus sancti augentur, effunduntur. Immo Spiritum sanctum dari non impedit *ὡσαύτως* ejus; Photiniani Christum esse personam, non negant, & tamen eadem illi tribuuntur, Datur mundo Job. 3. v. 16. participes Christi efficimur Hebr. 3. v. 14. Rebus quidem inanimatis etiam quædam tribuuntur, quæ personis conveniunt, ut quando Legem loqui adfirmat Paulus Rom. 3. v. 19. sed fieri hoc per *ὡσαύτως* & impropriè, vel puer videre potest: Moses enim loquitur per legem: de Spiritu autem sancto eodem modo intelligenda.

genda esse, hæcenus sufficienter nondum probatum est ab adver-
sariis.

CXV. Virtus Dei dicitur Spiritus sanctus *Luc. 24. v. 49.* sed hoc iterum ἰσοστάσιον illius non tollit: Christus etiam virtus Dei dicitur *1. Cor. 1. v. 24.* Reliqua quæ proferre consueverunt, ex cir-
culo Rationis petita sunt pleraq; , quæ rebus divinis præjudicare
nec debet, nec potest, & sufficienter atque prolixè refutata videri
possunt in *Refut. Catechism. Racov. Art. 5. cap. 6. Confid. Theol. Photin. Dn. D. Meisneri cap. 4. art. 3. p. 514. seqq. Tom. 1. Loc. Comm. Dn. D. Gerhardt Loc. 6. cap. 5. §. 101. seqq. Lib. 11. de trib. Elohim Dn. D. Jac. Martini cap. 32. 33. & alibi.*

4. Persona-
rum conve-
nientia &
differentia.
Conveniunt
Essentiâ.

CXVI. Succedit jam, ut quid Scriptura tribus hisce Divini-
tatis personis adscribat atq; tribuat *commune*, quid verò singulis,
tanquam cuiq; *proprium* assignet, paucis dispiciamus.

CXVII. *Communis* tribus personis est *ἁοία*; Unam enim,
eamq; indivisam Pater, Filius & Spiritus sanctus habent *essentiam*:
hinc de Filio confitemur in Symbolo Niceno, quod sit *consub-*
stantialis Patri; & de Spiritu sancto, quod cum Patre & Filio simul
adoretur & conglorificetur.

CXVIII. De Filio, inquit Paulus *Phil. 2. v. 6.* quod sit *equa-*
lis Deo, *Col. 2. v. 9.* quod in ipso *inhabitet* πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος
σωματικῶς. Et Christus ipse expressè ait, *Omnia quæcumq; Pater ha-*
bet, mea sunt *Joh. 16. v. 15.* *Pater meus operatur & ego operor* *Joh. 5. v. 17.*
Ego & Pater unum sumus. *Joh. 10. v. 30.* Hinc quæ Pater facit, similiter
& Filius facit *Joh. 5. v. 19.* *Qui cognovit Christum, cognovit quoq; Pa-*
trẽ *Joh. 14. v. 7.* *Qui videt Christum, videt Patrem* *vers. 9.* De Spiritu
sancto idem planum fit *ex thesi 114.* Probato enim, Spiritum san-
ctum esse Deum, Deum autem esse Unum, sequitur *ἁμοοοία* ejus-
dem cum Patre & Filio.

Conseclaria
ἁμοοοίας

CXIX. Ex hæc *ἁμοοοία* essentialis promanat *ἁεχῶρονος*,
ut cum Scriptura affirmare possimus, *Patrem esse in Filio, & Filium*
in Patre, & Spiritum sanctum in utroq;, juxta illud, *Ego in Patre, &*
Pater in me est. *Joh. 14. v. 10.* & August. *lib. 6. de Trin. cap. ult.* *Singula*
sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in o-
mnibus, & unum omnia.

120. Pro-

CXX. Propter hanc *ἁχάριστον* personæ sunt *ἑνωμένοι*, Pater est in Filio, Filius in Patre, Spiritus Sanctus in Patre & Filio; sic tamen, ne inter se confundantur vel personæ ipsæ, vel proprietas personalis: propter hanc quoque tres illæ personæ semper simul sunt & simul agunt; Ubi est Pater, ibi quoque Filius & Spiritus sanctus: Quicquid agit Pater, agit & Filius, & Spiritus sanctus.

CXXI. Ex hâc quoque profluit æqualitas essentialium proprietatum, potentia, gloria, majestatis. De quâ æqualitate unanimi consensu confitemur ex Symbolo Athanasii: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, cœterna majestas.* Et paulo post: *In hâc Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ cœternæ sibi sunt, & cœquales.*

CXXII. Communia quoque sunt opera Trinitatis ad *Operibus externis.* tra, quæ sunt, quando Deus extra suam essentiam in Creaturis ali- quid operatur & perficit: Unde Augustini Regula: *Opera ad extra sunt indivisa, salvo uniuscujusque proprietatibus;* & Nazianzenus ait: *Illud quod operatur, est una tribus personis communis essentia.* Ergo sicut una & indistincta est Essentia, ita unus est factor & operator, unum & indistinctum opus. Talia opera sunt Creatio, Conservatio, Mundi gubernatio, Ecclesiæ collectio, conservatio, adversus hostes defensio &c. hæc omnia absolute considerata, tribuuntur omnibus tribus personis Divinitatis, sine ullo discrimine: affirmantur enim de Patre, affirmantur de Filio, de Spiritu sancto affirmantur: relate autem considerata, videndum & probe attendendum, quo ordine agant personæ, & quæ personæ cujusvis sit proprietas. Sic tribus personis tribuitur quidem absolute Creatio, Conservatio &c. relate tamen ordo agendi accurate observandus est; Pater enim per Filium in Spiritu sancto creavit omnia; Pater per Filium in Spiritu sancto conservat omnia.

CXXIII. Sequitur *personarum differentia*: Differunt autem *Differunt Origine.* i. *Origine.* Sunt enim personæ Divinitatis vel à se, ut Pater, qui idcirco ingenuus, principium sine principio, fons & origo Deitatis dicitur.

dicitur: *vel ab alio*, & *vel à Patre*, ut Filius, quem Pater ab æterno genuit; hinc dicitur Unigenitus, Imago Patris, & quidem essentialis: *vel à Patre & Filio simul*, ut Spiritus sanctus, qui idcirco procedere dicitur ab utroque. Ergò respectu *ῥόπης ὑπαρξέως* Filius non est à se, sed à Patre; neq; Spiritus sanctus est à se, sed à Patre & Filio.

Ordine.

CXXIV. 2. *Ordine*, Pater enim est prima, Filius secunda, Spiritus sanctus tertia persona; quod discrimen non constituitur *rat. temporis*, quod Pater fuerit prior Filio & Spiritu sancto; *nec ratione essentia*, quia in omnibus una & eadem est essentia simplicissima; *nec ratione dignitatis*, quæ itidem communis est; neque *ratione gradus*, quos non admittit hoc mysterium, sed tantum *ratione ordinis & originis*, quia Pater fons est & origo Divinitatis, & per generationem ab æterno producit Filium, & cum illo ab æterno spirat Spiritum sanctum.

Characteribus personarum.

CXXV. 3. *Characteribus personalibus*, quibus inter sese citra ullum Creaturarum respectum distinguuntur, & aliàs dicuntur opera ad intra. Quæ quidem distinctio sive differentia nullo modo est verbalis sive rationalis, quæ tantum in Ratione consistat; neq; accidentalis, cum in Deum tanquam actum omnium purissimum, nullum unquam cadat accidens; sed realis & personalis, quæ fundamentum in ipsâ re, nimirum, in ipsa *ὑποστάσει* habet. Et res ex sacris literis satis manifesta est, modus vero in hâc rerum imperfectione planè incognoscibilis & incomprehensibilis esse ab omnibus statuitur.

CXXVI. Distinguuntur enim personæ Trinitatis *ῥόπης ὑπαρξέως*, non autem propriè loquendo, relationibus. Unde Thomas *part. 1. quest. 40. art. 2.* scribit; *Personæ distinguuntur relationibus, non ut relationibus, sed ut proprietatibus*: Relationes enim sunt quatuor, Gignere, gigni, spirare, spirari; proprietates autem tantum tres, de quibus jam ordine.

Character Patris.

CXXVII. Characteristica ergò proprietas *Patris* est, quod à nullo, sed à seipso sit, diciturq; usitato vocabulo *ἀφ᾽ ἑωσῆς*, qui quidem terminus negationem inferre videtur, reverà tamen affirmat aliquid, nimirum Patrem suam essentiam habere à seipso: hinc

hinc passim à Patribus ἀΰνησιν Ingenitus, αὐτοῦσιν à seipso existens, αὐτοῦσιν à seipso habens Deitatem, appellatur.

CXXVIII. Filii proprietas characteristica est, quod à Patre ab æterno sit genitus, & vocatur ὕψις vel ὕψιστος, eâ ratione, quia Pater gignendo communicet Filio totam suam, eandemq; numero essentiam. Modum autem generationis hujus, in hâc infirmitate assequi non valemus; sed verè impossibile est generationis hujus scire decretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum; sed & Angelorum, quemadmodum eleganter & verissimè scribit Ambros. de fid. ad Gratian. Hinc dicitur μονοϋῆς υἱός, Unigenitus filius, qui est in sinu Patris Joh. 1. v. 18. πρῶτόγενος πάνσης κτίσεως, Primogenitus universe Creaturae Coloss. 1. v. 15.

Character
Filii

CXXIX. Et hâc ipsâ generatione Essentia divina non dividitur, aut ei aliquid decedit; sed communicatur: ita, ut eadem numero essentia communicetur Filio à Patre, quam habet ipse Pater. Hinc rectè dicimus: Essentia communicatur, persona verò generatur; hoc est, Essentia absolute considerata, pro ut tribus Divinitatis personis communis est, non generatur, sed communicatur: considerata verò relate sive determinate, pro ut certo subsistendi modo & τρόπο ὑπαρξεως cuilibet personæ est appropriata, tunc essentia Patris determinatè ita cum τρόπο ὑπαρξεως, considerata, gignit essentiam, itidem determinatè cum certo ὑπαρξεως τρόπο in Filio consideratam.

Videri possunt Gerb.
Tom. 1. Loc.
5. c. 5. §. 176.
seqq.
Polan. lib. 3.
cap. 4. pag.
202. seq.
Sohn. Tom.
II. art. 1.
pag. 87.

CXXX. Neque enim generatio Filii Dei æstimanda est, ad generationem filiorum hominum, cum illa sit hyperphysica, & superet omnem Naturæ cursum, ipsumq; transcendat Rationis acumen; hæc verò physica & naturalis: illa sit actus purus, ab eo, quod utrumq; αἰδίως simul est gignens & genitum; hæc verò motus physicus à non esse ad esse: illa sit æterna & permanens; hæc temporalis & transiens. Pater enim non desinit gignere Filium, neque Filius desinit gigni à Patre; nullum habet principium temporis, nullum finem, nullam quoque successionem aut mutationem: Genuit enim Pater Filium ante sæcula & sine tempore, ita quidem, ut Pater sine Filio fuerit nunquam.

Character
S.S.

CXXXI. Spiritus sancti proprietas characteristica est, quod essentiam habeat à Patre & Filio per æternam spirationem, sive processionem, & vocatur ἐκπόρευσις, id est, processio Job. 15. v. 26. Spiritus veritatis, ὁ ὡσαύτως Πάτερ ἐκπορεύεται, qui à Patre procedit: quæ processio non localem aliquam migrationem; sed æternam totius essentiæ divinæ communicationem denotat; unde eam ἐμμένον immanentem dicunt Theologi. Estq; hæc processio non actus voluntatis, sed naturæ, & secundum voluntatis modum; non accidentalis, sed personalis; non externa, quæ fiat extra essentiam, sed interna, quæ fit intra ipsam divinam essentiam; non temporanea, sed æterna, neq; enim cepit in tempore, sed sine tempore fit ab æterno in æternum.

CXXXII. Differentiam esse inter generationem & processionem, haut obscurum est; sed quænam sit, determinare humana nescit infirmitas; fateri cogimur cum B. Augustino, *Distinguere nescio, non valeo, non sufficio, propterea, quia sicut generatio, ita processio inenarrabilis est.* Et cum Nazianzeno *lib. 5. de Theol. Dic tui mihi, quid sit generatio, & ego dicam tibi, quid sit processio, ut ambo insaniamus Dei decreta rimando.*

CXXXIII. Procedit autem Spiritus sanctus non tantum, à Patre, quod Ecclesiæ Græcæ voluerunt; sed etiam à Filio, unde Spiritus Elohim dicitur Gen. 1. v. 2. Spiritus Christi Rom. 8. v. 10. Spiritus Jesu Christi Phil. 1. v. 19. Spiritus Filii Gal. 4. v. 6. Spiritus oris Christi 2. Thess. 2. vers. 8. Spiritus labiorum Christi Esa. 11. v. 4. qui à Christo mittitur Job. 15. v. 26. c. 16. v. 7.

Operibus
externis.

CXXXIV. 4. Operibus externis, quæ quidem communia esse libenter concedimus, servato tamen ordine personarum, quia in istis operibus una persona præ aliâ se magis hominibus patefecit, unde etiam κατ' ἐξοχλήν illis tribuuntur. Sic Patri κατ' ἐξοχλήν tribuitur *Creatio*, non quod ab eo Filius & Spiritus sanctus excludantur, sed quia Pater potissimum in isto opere se revelavit. Filio tribuitur *Redemptio*, à quâ tamen Pater & Spiritus sanctus iterum excludi nequeunt. Distinguendum enim est inter incarnationis sive Redemptionis actum & terminum: ad actum concurrunt tota Sacrosancta Trinitas, terminus verò cōpetit Filio, utpotè, qui solus huma-

humanam naturam induit. Alii distinguunt, inter incarnationem, activè & passivè consideratam; & sic ad illam Pater concurrit originaliter, Filius personaliter, Spiritus sanctus virtualiter. Spiritui sancto deniq; adscribitur *Sanctificatio*, quia potissimum in hoc opere se manifestavit.

CXXXV. 5. *Modo agendi*; non enim uno eodemq; modo operantur personæ Divinitatis: Pater agit per Filium in Spiritu Sancto: Pater agit à nullo, Filius agit à Patre. *Gen. 19. v. 24.* *Filius pluit à Patre super Sodomam & Gomorrhæam: Job. 5. v. 19.* *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Spiritus sanctus autem agit ab utroque, *hinc non loquetur à se ipso, sed quacumq; audiet, loquetur. Job. 16. v. 13.*

Modo agendi.

*Polan. lib. 3
Synt. Theol
c. p. 8. p. 226.
col. sec. D.*

CXXXVI. Et huc usque veram de Deo vero, in Unitate Trino, in Trinitate Uno sententiam, quantum quidem in hâc rerum infirmitate fieri potest, proposuimus: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit, juxta Athanasium in Symbolo.* restat jam, ut *ἐπεὶ ἔδοξεν* brevissimis apponamus, de refutatione non multum laborantes, cum juxta Hieron. contra Ctesiphonem, *Hereticorum dicta & sermones enarrare, sit refutare & superare: Patet enim primâ fronte blasphemia, nec necesse habet convinci, quod suâ statim professione blasphemum est.* Sequitur, ergo

MEMBRUM III.

De falsa hereticorum sententia.

CXXXVII. Orthodoxam hanc Ecclesiarum nostrarum confessionem impugnant *ἐπεὶ ἔδοξεν* assertores, pro indole ipsorum variâ, variis quoque modis, atque rationibus. Et illorum quidam sunt extra, quidam intra Ecclesiam. Extra Ecclesiam duo potissimum reperiuntur genera illorum, qui huic sese veritati opponunt, suntq; *Judæi & Turcæ.*

*ἐπεὶ ἔδοξεν
ἔλεῖν ἡρε-
τικῶν,*

*qui vel extra
Ecclesiam*

CXXXVIII. *Judæi* dictis de Dei Unitate innituntur, & hinc unam quoq; tantum personam Deitatis esse fingunt, personarumq; Trinitatem omninò rejiciunt; Christum Dei Filium, Deoq;

Deoq; Patri *ὁμοούσιος* esse omnino negant, ut potè, qui principium demùm ex Mariâ sumpserit, neque ante Abrahamum fuerit *Job. 8. v. 57.* Multa præterea blasphemia in Christum ore blasphemio evomere non verentur. Ad nomen Jesu, si soli sunt, ter in terram exspuunt, & dicunt idiomate suo, Deleatur nomen ejus; teste Luthero: Immò nomen Jesu non audent propter Christianos expressè scribere, sed cabalisticè istud indigitant per *קריק הבל*, id est, vanitas & stultitia, quorum posterius in numeris habet 316. & totidem nomen *קשי*: quæ ut & alia multa refert D. Helvicus *Tom. IV. Giess. Disp. XI. quæst. 1. pag. 257. seq.*

CXXXIX. *Mahumetes* Religionis Turcicæ author, jactatis visionibus (quas Epileptico sibi spumanti & ringenti coelitus exhiberi commentus est) operâ Servii Monachi cujusdam Nestoriani, Johannis Antiocheni Ariani, & Judæi Selam, novam legem Arabibus & Sarracenis suis condidit, in quâ, præter alia, Unum tantum docet esse Deum. Christum magnum Prophetam & Legislatorem esse concedit, sed verè & naturâ Deum, hoc negat. Hinc Samsates Persa in *Epist. suâ* scribit: *Quidnam tibi scribam? quid redarguam? quid doceam? Quod scilicet Unus sit Deus, Creator cæli & terre, quemadmodum & ipse dixit; Ego sum Deus, & consortem divinitatis non habeo &c. Quâ ratione igitur fieri poterit, ut Deus filium habeat sine muliere? Quod si Deus Filium habuerit, dissidium sanè aliquod inter ipsos oriri potuit.* Et *Azoar. 12.* Omnes dicentes, Christum Jesum, Mariæ Filium, Deum existere, mendaces & increduli reperiuntur. Referente Phil. Nicol. *lib. 1. de Regno Christi c. 6. p. 165. 166.*

CXL. Blasphemia hæc sunt omnia, ideoq; indigna, quæ prolixè refutantur. Non enim vanitas, non stultitia est, Fides hæc nostra orthodoxa, in Scripturâ Sacrà satis inculcata: docet illa Unitatem, docet etiam Trinitatem, quam multis in locis etiam V. T. propositam, agnoscerent Judæi; modo oculis ipsorum non obductum sit vanæ & stultæ Rationis pallium. Deum sine Uxore non posse generare Filium, blasphemum & *ἀθεον* est, quod sine peccato ne cogitari quidem potest: Non enim, quod superius quoque dictum, æstimanda est generatio Filii Dei ad generationem.

nem filiorum hominum. Et, quia una est ipsarum personarum
essentia, una voluntas, una operatio; non opus est Sampfati, ut
dissidium quoddam metuat: *Neq; enim cogitationes meae, cogitatio-
nes vestrae; neq; via vestra, via mea sunt, inquit Jehovah Esa. 55. v. 8.*

CXLI. Intra Ecclesiam quoque olim & hodiernum reperi- *vel intra Ec-*
untur, qui Sacrosanctum hoc mysterium destruere conantur; hinc *clesiam; & bi-*
distinguiimus illos in *veteres & Recentiores.* *sunt vel vete-*
res.

CXLII. Ex veteribus quidam impugnant ipsam Jehovah uni- *Sohn. in Thes.*
us essentiam; quidam personarum in unâ Essentiâ Trinitatem. De *Disp. de Deo-*
essentiâ unius Dei, qui à nobis dissident, vel duos, vel tres, vel plures *th. 61. seqq.*
Deos esse statuunt. *pag. 90.*

CXLIII. Duos Deos statuunt primò Cerdo & Martion, circa
annum Christi 157, docentes, alium esse Deum V. T. justum, seve-
rum, punientem scelera, pluentem super Sodomam sulphur & i-
gnem *Gen. 19. v. 24.* & alium esse Deum N. T. misericordem, bene-
ficum, longanimem, qui sinit Solem suum oriri, & pluit super ju-
stos & iniustos *Matth. 5. vers. 45.* sed falsam esse hanc sententiam,
exempla misericordiæ in Vet. & justitiæ in Nov. T. satis apertè
docent.

CXLIV. Deinde duos esse Deos quoque statuit Manes, cir-
ca annum Christi 274. cujus sectæ asseclæ ab authore Manichæi di-
cti sunt, qui finxit duo principia seu duos Deos, unde omnia in
Creatione ortum suum acceperint: quæ bona & recta sunt, à Bo-
no; quæ mala, confusa & viciosa, à Malo. Materiam quoque
Deo esse fingit coæternam, illamq; duplicem ponit, Malam, quam *Chembit,*
Tom. 1. de
Creat. 5. 138.
B. de Caus.
peccat. c. 2.
f. 154. seq.
de Lib. Ar-
bitr. c. 8. f. 217
ὕλη sive tenebras appellat, & Bonam, quam *Φῶς* sive lucem vo-
cat. Hinc genus humanum in tres dividunt ordines: quosdam vo-
cant terrenos *ex 1. Cor. 15. v. 47.* quorum substantia sit à malo prin-
cipio, & ex tenebris, qui nil nisi malè agere possint: alios dicunt
à bono principio ex materiâ lucis esse creatos, qui peccare non
possint, etiamsi velint: tertios dicunt esse medios, in quibus mixta
sit substantia luminis & gentis adversæ; Et hoc sic factum esse fa-
bulantur, Cum Deus bonus hominem ex suâ substantiâ vellet
creare, extitisse pugnam inter tenebras & lucem, sive inter bonum
E 3 & malum

& malum Deum, & ita tenebras suam etiam substantiam miscuisse homini, quæ admixta substantia peccet in homine, non autem hominis voluntas.

CXLV. Sed nos ex Scripturâ scimus, Unum esse principium, à quo omnia, illudq; Principium esse summè bonum, à quo etiam nil nisi bonum provenire possit. Quæ autem mala sunt, non sunt à Deo, sed *partim* à Diabolo, qui ante lapsum bonus erat Angelus, post lapsum factus est Diabolus, & homines ad mala impellit; *partim* à Carne nostrâ, Diabolo assentiente; quam hæresim sufficienter antiqui refutarunt Patres, ut Tertullianus, Basilus, Augustinus, Origenes, Hieronymus &c. & nostri quoque Theologi.

CXLVI. Tres Deos somniârunt *Tritheia*, qui Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres essentiis distinctos & divisos Deos esse statuerunt, illosq; inter se, sicut tres homines, subjectis & locis differere. Huc referendus *Valentinus Gentilis*, eandem sententiam seculo superiore Genevæ & alibi propugnans, qui personarum in unâ Essentiâ Trinitatem, *novum idolum, turrim Babel, Deum j. Etivum & sophisticum* appellare non dubitavit: Idem Patrem vocavit Essentiatorem, Filium & Spiritum sanctum Essentiatos. Argumenta illorum ut & refutationem proponit Sohn. *Tom. II. Oper. Art. de Deo p. 161. seqq.*

CXLVII. Plures statuerunt *Valentiniani & Gnostici* circa annum Christi 150. qui ex eo, quod Trinitatem antiqui Patres probaverint, institutione Baptismi nostri, ita intulerunt: Si tot sunt personæ Divinitatis, in quot baptizamur; cur non etiam tot erunt personæ, quotuplicia beneficia à Deo accipimus? quot nomina Deo in Scripturis tribuuntur? de quibus, ut & harum personarum, plurium nominibus monstruosissimis, multa habent Irenæus, Tertullianus, Epiphanius & alii.

CXLVIII. Personarum Trinitatem qui impugnant, duplici procedunt viâ: *quidam* enim ipsam personarum negant Trinitatem; *quidam* verò personarum illarum *ὁμοσίου* & æqualitatem destruere allaborant. Qui porro personarum negant Trinitatem, vel unam ex Trinitate deturbare satagunt, vel duas.

CXLIX. *Unam personam negarunt Paulus Samosatensis, Episcopus Antiochenus, qui vixit circa annum Christi 270. unde Pauliani, Paulistæ, Samosatensiani, Samosataei, & Samosatitæ dicti sunt; & Michael Serretus Hispanus, qui circa annum Christi 1530. Samosatensi hæresin editis libellis, per Hispaniam, Galliam, Italiam & Germaniam renovavit, vocando ore blasphemus Trinitatem, triceps Cerberi monstrum & tricipitem Gerionem. Horum error fuit, Spiritum sanctum esse tantum ἀνομήτου ἐνέργειαν Dei, & vim à Deo rebus conditis infusam, quâ moveantur & regantur, quam Physici naturam appellant. Verum hæc error facilè refellitur. si homonymiam vocabuli Spiritus annotemus, & omnia personarum propria Spiritui sancto in Scripturis tribui consideremus.*

*Dn. D.
Meisn. in
Præf. Confid.
Theol. Phot.*

CL. *Duas verò personas negarunt Praxeas, circa annum 200. Sabellius circa annum 260. & ejus Præceptor Noetus & alii, qui unam esse tantum personam Divinitatis statuerunt, quæ alio atque alio respectu nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus dicatur: Pater, cum homines paterno affectu prosequitur, illisq; beneficia exhibet: Filius, cum visibili specie conversatur cum hominibus, & cum illis loquitur; Spiritus sanctus, cum accendit novos motus in cordibus credentium. Huc referendi sunt quoq; Patrispassiani sive Monarchiani, qui Patrem passum esse docuerunt, dicentes: Non aliam personam crucifixam esse, quam quæ è cælo clamaverit: Hic est Filius meus dilectus &c. eandem personam esse incarnatam, & quæ sunt alia. Sed cum hæc è diametro Sacræ scripturæ contrariantur, quæ docet aliam esse personam Patrem, aliam Filium, aliam Spiritum sanctum; opusq; incarnationis & passionis, non Patri, nec Spiritui sancto, sed Filio tribuat; eadem, quæ afferuntur, facilitate rejiciuntur.*

CLI. *Personarum porrò ὁμοσίαν negantes, iterum in diversas eunt sententias; quidam Filium, quidam Spiritum sanctum, quidam utrumq; Patri ὁμοσίον & coessentialem esse negant.*

CLII. *Filium Patri ὁμοσίον esse negarunt Ebion, Cerinthus, Carpocrates, qui Christum ψιλὸν esse ἀνδρῶπων asseruerunt, natum ex semine Joseph, in quem adultum jam Messias in specie columbæ.*

lumbæ descenderit: & ideò dicebant, eum ante annum ætatis tri-
gesimum, non prædicasse aut miracula edidisse; in passione verò,
blasphemabant, Messiam rursus dereliquisse illum hominem Je-
sum. Huc pertinent *Photinus* docens circa annum 345. & *Servetus*,
qui Samofateni hæresin renovârunt, & docuerunt, Christum non
semper fuisse, sed in Mariâ primùm cæpisse, nihilq; præter nudum
hominem esse, & hanc personam adhuc durare. Sed unde pro-
bant suam illi assertionem? Scriptura aperte reclamât; Colum-
bam super Christo visam, quam Spiritus sanctus assumpserat, non
Messiam dicit, *Matth. 3. v. 16.* Christum non solum ante Mariam,
sed & ante Abrahamum fuisse affirmat *Job. 8. v. 58.* quæ certè Scri-
pturæ effata multò pluris habenda sunt, quam ista humani cerebel-
li commenta.

CLIII. *Spiritus sancti ὁμοσίαν* negarunt *Macedonius*, circa
annum 340. qui Spiritum sanctum non Deum, non Creatorem, sed
Creaturam esse docuit, novos nimirum motûs, quos Deus excitat
& creat in conversis: quæ hæresis damnata in Synodo Constanti-
nopolitanâ anno 381: *Eunomius*, qui finxit Spiritum sanctum esse qui-
dem præstantiorem virtutibus Angelicis, sed non Deum vel Do-
minum: *Anabaptistæ* & *Campanus*, qui Spiritum sanctum non ab æ-
terno esse, sed demùm cepisse post glorificationem Christi, & fu-
isse vel Columbam, vel Ignem, vel aliquod aliud ex visibilibus illis
donis, quibus Deus Ecclesiam suam primis temporibus ornaverât,
& per consequens Patri non esse ὁμοσίον affirmârunt. Con-
trarium iterum facile asseritur, si *πολυσημία* vocis Spiritus ex-
pendatur.

CLIV. *Ulriusq; Filii* nimirum & Spiritus sancti ὁμοσίαν
oppugnarunt circa annum 320. *Arius* Presbyter Alexandrinus, qui
Filium minorem Patre, Spiritum sanctum minorem Filio dixerunt,
quem tamen errorem studiosè occultârunt, teste *Basilio in Epist.* Ut
Filium à Patre, sic Spiritum sanctum à Filio esse creatum, atque ita
Creaturæ Creaturam esse censuerunt; Filiumq; esse *κὲν ἔκ τῆς
οὐκίας ἐξ ἑν ὄντων*, Creaturam & opus ex nihilo, ante omnes
tamen creaturas factum esse docuerunt. Et August. refert de illis
cap. 22.

cap. 22. *contr. serm. Arian.* Filius, inquit, minister est Patris, Spiritus sanctus minister est Filii. & cap. 23. Filius adorat & honorat Patrem, Spiritus sanctus adorat & honorat Filium. Et, ut Cyrillus scribit dial. 4. Patrem, dicunt, ut verum Deum opus Creationis indignum reputasse suam excellentiam, ideoque illud Filio commisisse, tanquam minori & inferiori, Filiumque quaedam in opere Creationis Spiritui sancto, tanquam Ministro perficienda mandasse: adeoque Filium & Spiritum sanctum Patri non *ὁμοούσιον*, sed *ἕτεροούσιον*, id est, diversae naturae & essentiae esse. Damnatus est hic Arius Niceae in Bithynia per Patres Concilii, quorum 318. congregati fuerunt, ubi Symbolum conscripserunt, à loco vocantes Nicenum.

CLV. Huc optimè referri potest Aëtius, primùm aurifaber, post Theologus factus absurdis mirabilibusque quaestionibus turgidus; hujusque discipulus & Notarius Eunomius, qui Christum Dei Filium, Patri non tantum *ἕτεροούσιον*, sed quoque *καὶ πάντα ἀνόμοιον*, hoc est, in omnibus dissimilem, & Spiritum sanctum à Filio creatum, Filioque per omnia dissimilem esse contenderunt. Sed contrarium ex *ib.* 118. *seqq.* constat.

CLVI. Et hactenus de oppugnatoribus Trinitatis antiquis: succedunt recentiores, quos ita vocamus, non ac si novam ^{vel recentiores} aliquam haeresin effinxerint; sed quia veterem, à Conciliis, Patribus, & Theologis antiquissimis damnatam haeresin de novo assumunt, ex antiquis cineribus revocant, novoque schemate adornare student. Hinc Neo-Photiniani, Neo-Samosateniani, Neo-Ariani hodie vocantur. Authores hujus de novo reconstitutae haereseos potissimum fuerunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciscus Davidis, Lelius & Faustus Socini, unde à quibusdam Sociniani indigitantur, Johannes Sommerus, Christophorus Ostorodus, Valentinus Schmalzius, qui Catechesin suam Racoviae in Polonia anno 1608. editam, inclytæ huic Academiae, ausu planè temerario, offerre & inscribere non veritus est, Georgius Enjedinus, Adamus Gostavius à Bebelno, & alii. Dogma suum vel potius venenum passim spargunt, imprimis in Transylvaniâ, Poloniâ; quod tamen in quibusdam etiam locis Silesiae nostrae, proh dolor! praesertim circa fines Poloniae spargi incipit.

CLVII. Horum de arduo Trinitatis articulo hæc est sententia, Unum tantum esse Deum verum, illumq; Unum verum Deum, tantum esse unam personam; Filium personam esse concedunt, sed tantum humanam; Spiritum autem Sanctum, esse Virtutem sive attributum quoddam in DEO. Assertionem hanc suam varii probant variè, cujus argumenta & illorum solutionem prolixè & sufficienter proponunt nostri Theologi. *Refut. Catechism. Rac. Edit. Germ. pag. 57. seqq. August. Confess. Dn. D. Franzii Diss. I. & tribus Paralipom. in calce ibid. adjectus, ejusq; vindictis Diss. 2. Consid. Theol. Photin. Dn. D. Meisneri p. 305. seqq. Tom. I. Loc. 4. Dn. D. Gerhardi §. 83. seqq. Dn. D. Jac. Martini libri tribus de tribus Elohim passim, & alius.*

CLVIII. Dicunt, Dogma Trinitatis originem ducere à Gentilibus, præsertim Platone & Aristotele: commentum esse Antichristi: sanæ Rationi absolum & contrarium: in Scripturis sacris non fundatum, sed apertè in illis damnatum; & quæ alia, sine omni tamen fundamento solido oggannire solent.

CLIX. Externam quidem speciem habent ista; utpotè quibus simpliciores facile turbare queunt: sed falsa sunt omnia, quo etiam cunq; modo scripturas torqueant. Gentiles enim hujus articuli authores esse falsissimum est; ab Antichristo excogitatum hoc esse mysterium, absurdissimum est. Non à Gentilibus, non ab Antichristo habemus, ipse Deus talem se nobis manifestavit, tam in V. quam N. T. Rationi mysterium hoc videri absolum, facile concedimus, non enim articulus vel dogma Rationis, sed Fidei est: exinde autem concludere nullo modo possum, quod falsum sit hoc mysterium; nisi plærosq; Fidei articulos in dubium vocandos esse censeam. Divina namq; mysteria humana non capit Ratio, non solum ante, sed & post illuminationem, quoniam transcendunt Rationem etiam illuminatam, quippè cujus principia una eademque semper manent. In scripturis fundari Trinitatem, membro II. sufficienter probavimus. Tenenda potius hic Theologorum Regula, quam habet August. *libr. 3. contra Maximum. Cum sermo est de re, que alicui personæ divinæ, secundum essen-*

81406

tiam convenit, non excluduntur, sed includuntur alia persona divina, que sunt ejusdem essentie. Et Cyrillus: Quando divinitas opponitur idolis, tum una persona nominata non excludit reliquas personas ab invocata Divinitate, sed tantum creaturas & idola: quibus observatis fallacia argumentorum Photinianorum facile apparebit.

CLX. Et hæc, ratione instituti, de arduo hoc mysterio dixisse sufficiant. Deo Uni & Trino, Patri, Filio, & Spiritui sancto gratias agimus immortales, pro veritatis & agnitionis suæ revelatione. Conserva porro, *ô Benedicta Trinitas! ô adoranda Unitas!* tuam inter nos veritatem; Tu nos doce de te, ut cognoscamus te per te, qui non potes cognosci, nisi docente te. Largire, Jehovah Clementissime, ut quod hîc credimus, aliquando intueamur coram de facie ad faciem; sicq; Tibi Deo Vero, Uni & Trino, cum Angelis & Archangelis, cum thronis & dominationibus, cumq; omni militia cælestis Exercitus, hymnum gloriae tuæ canamus, sine fine dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, Sabaoth!*

DEO TRIN-UNI GLORIA.



DEO TRINITY GLORIA.



05 A 919

3

ULB Halle
003 761 266




[1001]

ah







Disputatio Theologica,
De
ADORANDO TRINI-
TATIS MYSTERIO,
Quam
Adjuv. DEO Uno & Trino
In celeberrimâ Academia Witebergensi,
Sub Præsidio
Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi Viri,
DN. BALTH. MEISNERI,
SS. Theol. D. & Prof. publ. celeberrimi,
Præceptoris & Promotoris sui perenni
observantiz cultu prosequendi,
Publica disquisitioni subjicit
FRIDERICUS FLASCHNERUS
Svidnicio - Silesius.
d. 24. Martii, in audit. Majorum.
WITEBERGÆ,
Ex Officina Christiani Tham, Acad. Typogr.
ANNO MDCXXVI.